LECHUS HISTORIÆ POLONÆ RESTITUTUS

PER

P. F. STANISLAUM KLECZEWSKI,
ORDINIS MINORUM STRICTIORIS OBSERVANTIÆ PROVINCIÆ RUSSIÆ SACERDOTEM.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

OLOMUCII IN METROPOLI MORAVIÆ,
TYPIS JOSEPHÆ HIRNLIANÆ, FACTORE JOSEPHO FRANCISCO LOSERTH.

M. DCC. LXXIV.

Quiescant nobis per invidiam accusationes ingerere: non enim alicujus odio defendimus hanc causam, sed nostrum honoramus legislatorem.

Flav. Joseph. Con. Appion. lib. 2.

AD

CELSISSIMUM JOSEPHUM ALEXANDRUM

DE VINDIS, PRUSSIIS, ET S. R. I.

PRINCIPEM JABLONOWSKI,

PALATINUM, AC GENERALEM PRÆSIDEM
TERRARUM NOVOGRADENSIUM,
EQUITEM TORQUATUM, ET COMMENDATOREM ORDINUM S. SPIRITUS, S. MICHAELIS ARCHANGELI,
ET DIVI HUBERTI,
WOLPENSEM, ONYXTENSEM, DZWINOGRODENSEM,
ZAGOSTENSEM

PRÆFECTUM,

DUBENSEM, CRASNENSEM ET DEBESSAVIENSEM

TENUTOREM,

PLURIMARUM DITIONUM IN POLONIA, LITHVANIA, RUSSIA, WOLHYNIA, POKUTIA

HÆREDEM,

INCLYTARUM ACADEMIARUM, SCIENTIARUM,
INSCRIPTIONUM, ET HUMANIORUM LITERARUM,
LUTETIIS PARISIORUM, ARCADUM, RECUPERATORUM
INSTITUTI BONONIENSIS, ET ALIARUM
IN ITALIA

COLLEGAM CLARISSIMUM,

DOMINUM

AC

PROTECTOREM GRATIOSISSIMUM.

CELSISSIME PRINCEPS!

Cum tantus vigeat in Corde TUO PRINCIPUM CELSISSIME Rei literariæ amor, ut (non obstantibus Status TUI curis) dulcissimum esse judices, Lectione ac combinatione, cum antiquorum, tum recentiorum Historicorum, nec non subtili, de Mathematicorum, & Philosophorum placitis in utramque partem disputatione, occupari. Ausus sum ego quoque Opusculum hoc, acutissimi ingenii TUI limæ subjicere. Sint qualiacunque cetera, in illo contenta, materiam saltim, displicere non posse spero.

Cir-

Circa hanc enim, quam jucundum TIBI ſit verſari (inter plurima opera, Typis ſam data) Diſſertatio de Czecho ac Lecho nuper edita, luculenter teſtatur.

Commendavit CELSITUDINEM VESTRAM ſereniſſimus ſanguis venis infuſus, & plurima dona Perſonalia, Orbi & Patriæ: ſed his multo magis, labor in eruderanda Gentis noſtræ antiquitate. Si vaſtitas ingenii, & infracta laboris patientia ſpectetur, ſufficeres, Operi tanto perficiendo. Non vis tamen ſolus eminere, excitaſti tot ingenia, calamo, exemplo, munificentia, ac exhortatione, ut re-

mo-

motissima scrutentur tempora, & inter ruinas, non dicam monumentorum, sed Regnorum, quærant originem Polonorum; eo prosperius, quod solus amplissimum campum, non solum in Europa, verum in Asia minore, & parte Affricæ, qua diffusi sunt veteres hujus oræ incolæ, magno sudore complanaveris. Comportatur jam undique materia universalis Historiæ Polonæ Theatrum, stupendis factis Illustrium Virorum adornatum, compositura. Spero! TE Duce, TE supremam manum Operi imponente, Ægypti obeliscorum perennitatem, qua inventione, qua firmitate, superaturam. Faxit T. O. M. DEUS!

ut

ut, nedum molem hanc, ad conum usque deductam, lætus videas; sed Nomini TUO dicatam prosper semper, incolumisque diutissime spectes. Hæc inter alia plurima, optat

CELSITUDINIS VESTRÆ

Dabam in Conventu nostro Cremenecensi, ad S. Petrum de Alcantara, Die 20. Febr. Anno 1773.

Obsequentissimus Servus
Fr. STANISLAUS KLECZEWSKI,
Ordinis Minorum S. P. Francisci Strictioris Observantiæ vulgo Reformatorum S. T. L. Provinciæ Russiæ Minister Provincialis.

CENSURA
THEOLOGORUM ORDINIS.

Librum cui Titulus *Lechus Historiæ Polonæ restitutus*, sive Apologia pro Lecho, contra Authores illius existentiam oppugnantes ab Adm. Rev. P. Stanislao Kleczewski, Ord. Minor. S. P. N. Francisci Reformatorum SS. Theologiæ Lectore, Provinciæ Russiæ Rubræ in Polonia, Ministro Provinciali actuali, plurium jam gloriosorum Operum, DEO, Religioni, Patriæ, sapientialique Studio proficuorum Editore, conscriptum; æquali voluptate ac diligentia legimus, in eoque nihil penitus sive Sacro-Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ contrarium, sive bonis moribus dissonum, sive a clarissima veritate aberrans offendimus.

Quinimo: cum Opus hoc laboriosissime, pro more Authoris ex antiquitatum monumentis eruderatur, vetustam Lechitarum gloriam (supprimi attentatam) reparturiat, præsentem augeat, futuram immortalitalitati præseferat, ideo illud non solum posse, sed omnino dignum, mandari Typo, lucique publicæ reddi, utilissimum censemus. In Conventu Leopoliensi ad S. Casimirum P. R. P. die 3. Mensis Februarii Anno 1773.

Fr. Marcus Hornowski, Reform. SS. Theologiæ Lector actualis. mppia.

Fr. Didacus Tarzenski, Reform. SS. Theologiæ Lector actualis. mppria.

FACULTAS
Reverendissimi in Christo Patris
MINISTRI GENERALIS.
F. PASCHALIS A VARISIO.
Lector Emeritus Catholicæ Majestatis in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, Commissarius Visitator Apostolicus, ac in Domino servus.

Cum juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones idonei Censores de eorumdem Superiorum mandato Opus quoddam a Reverendo Patre Stanislao Kleczewski Lectore Theologo, ac Ministro nostræ Reformatæ Provinciæ Russiæ Rubræ elaboratum, cui Titulus est *Lechus Historiæ Polonæ Restitutus*, recognoverint, illudque ab Ipsis revisum, & approbatum fuerit: Nos præsentium tenore ad salutaris obedientiæ meritum facultatem facimus, quatenus servatis de jure servandis, idipsum typis mandari possit, & valeat. Datum Romæ ex Aracœli 6. Martii 1773.

Fr. Paschalis a Varisio
Minister Generalis.

(L.S.)

De mandato Reverendissimi in Christo Patris
Fr. Joseph. Anton. a Bimio,
Secret. Generalis Ordinis.

Imprimatur
Brunæ 12. Junii 1774.

Mathias Franc. Episcopus Samariensis e Comitibus Chorinsky,
Auct. Cæsar. Regia, nec non Reverendissimi & Celsissimi Episcopi Olomuc. Librorum Censor mppria.

ELENCHUS
EORUM QUÆ HOC OPUSCULO CONTINENTUR.

PRÆLUDIUM.

PARS PRIMA.
In qua oſtenditur Lechum defacto extitiſſe.

SECTIO VI. *Lechum* extitisse probatur; ac ostenditur, nullam Historiam præstantiores habuisse Testes, super eam, quæ Lechum extitisse dicit.

SECTIO VII. Traditio antiqua, suffulta Recentiorum Authoritate ostendit sufficienter, Lechum I. regnasse in Polonia. Probatur id exemplo, Classicorum, & Antiquissimorum Historicorum. Et, usu non interrupto traditionum inter Gentes Slavicas.

SECTIO VIII. Examinantur diversæ sententiæ, de Patria Lechi. Conciliantur Authores, qui sibi contradicere videntur, ex sententia *Procopii Agathiæ, Jornandis, Porphirogeniti:* & ostenditur, quæ Exodus, cum adventu Lechi in has oras magis convenit. Licet omnes antecedentes saltem remote in illam influant.

SECTIO IX. De tempore adventus Lechi, sententiæ Miechoviensis, & aliorum Historicorum Polonorum examinantur. Præcipue sententia *Lengnich* exploditur, ostenditurque, quod nec Lechus, cum Lazorum migratione conveniat, nec Lazi unquam Lechum noverint. Ex Chronologia autem Antecessorum Lechi, tempus adventus ejus determinatur.

SECTIO X. Nomen *Lechitarum*, vel *Lachorum*, derivatur a Lecho. Ubi ostenditur usus apud Slavos, Gentes particulares, denominatas fuisse a locis, aliquando ab actionibus indifferentibus, vel gloriose gestis: Quandoque tamen a Ducibus suis. Nominis autem Lachorum adhuc manent vestigia in Polonia, quod populare fuerat.

SECTIO XI. De Nomine *Polak* instituitur quæstio, & declaratur non derivari a *Lech*, nec a *Pole*, nec a *Pola* Civitate, nec a *Polo*, nec a *Spalæa* Civitate Dalmatiæ, nec a *Bulaniis*, nec a *Lazis*.

SECTIO XII. Polonorum Nomen ostenditur ortum fuisse Sæculo X. & vulgatum initio Sæculi XI. antea nec ab Historicis, nec in Diplomatibus usitatum Derivatur a susceptione Baptismi. Et tunc primum invaluisse ostenditur ex coævis Authoribus. Explicatur vera & genuina Grammaticalis Ethymologia. *Polak*, ex Regulis linguæ Polonicæ. Et ex circumstantiis eodem tempore id suadentibus.

PARS

PARS SECUNDA.

Ubi ſolvuntur Objectiones Antilechitarum.

SECTIO I. Solvitur triplex Objectio. *Prima,* quod diverſa inflexio, & alteratio nominis *Lech,* oſtendat illum non extitiſſe. Cui ſatis fit per adductionem exemplorum de rebus certis in homine alteratis. Et præcipue dum Slavica Græce imprimuntur. *Secunda Objectio.* Quod ſatius e Latino, vel Græco, *Lech* deducendus, non ex Slavico; pariter ſolvitur, non recurrendum eſſe ad extraneos. *Tertia:* Quod ſatius a *Lecho Lecheon,* non e contra, derivari debeat.

SECTIO II. Oſtenditur: nil obſtare exiſtentiæ Lechi, quod coævi Authores de illo non ſcripſerint, nec hoc prætendere debet quiſpiam. Probatur ex Saluſtio nullam Urbem, & Gentem antiquam tales Teſtes habuiſſe. Cur *Procopius Agathias &c.* non ſcripſerint de Lecho? excuſantur. Innuerunt tamen Argumenta negativa nil habere roboris, probatur exemplis. Si recentioribus non credendum? ergo non Antilechitis, qui cæteris multo recentiores ſunt.

SECTIO III. Solvitur objectio: quod inter Slavos nunquam fuerint Reges, vel Principes, probatur contrarium. Et oſtenditur adhuc apud Scythas, Sarmatas, Principes fuiſſe, ab antiquo. Multisque authoritatibus confirmatur. Teſtimonium de Slavis ipſiusmet Porphyrogeniti adducitur in contrarium. Nonnullæ aliæ Inſtantiæ ſolvuntur.

SECTIO IV. Facilitatur objectio Cromeri, probantis ex nulla Parte Dalmatiæ potuiſſe Lechum venire. Cur apud *Ptolomæum, Plinium &c.* Nomina Urbium, Populorum, Fluminum non ponantur Slavica? Oſtenditur jam ante Chriſtum conſediſſe ibidem Scytho-Slavos; ſed aliquantum ſuppreſſi, iterum celebres evaſerunt. Solvitur etiam objectio, quod adhuc Sæculo IV. in Dalmatia Fides Catholica floruerit: Cum tamen Lechus, & Lechitæ, Pagani fuerint.

SECTIO V. Solvitur Objectio: quod multa fabuloſa inſerta ſint Hiſtoriæ Lechi, adeoque tota Hiſtoria incerta. Expenduntur hæ fabulæ ex circumſtantia victoriarum, & loci poſſeſſi &c. Explicatur, quæ veræ ſint fabulæ; quomodo Hiſtoria ab illis purganda? Quid judicare debeat, ut æquus habeatur arbiter, hoc eſſe fabulam, vel non &c.

PARS TERTIA.

Ostenditur nullatenus probari posse Polonos a Lazis descendere posse.

SECTIO I. Examinatur Systema illorum, qui a Lazis Polonos deducunt. Ostenditur clare, qui fuerint *Lazi*, cujus Generis, Inclinationis, & concluditur totum amisisse, quidquid primitive habuerunt communis cum Scitho-Sarmatis, adeoque illis cohærere non potuisse.

SECTIO II. Lazorum nullum vestigium est amplius in Polonia. Esset autem præcipue in aliquibus verbis Lazicis. Adducuntur autem voces, & exempla Linguæ Laziccæ, nullatenus cohærentia cum Slavico sermone. Item mores prorsus discrepantes, & Genius migrationi omnino disconveniens.

SECTIO III. Ostenditur Lazos Sæculo VI. non potuisse emigrare de Colchide, quia undique viæ obsidebantur a Scitho-Sarmato-Slavis, actualiter arma tractantibus. *Item:* quia eodem tempore uniti Romano-Græcis, Bellum defensivum sustinebant contra Persas.

SECTIO IV. Ostenditur, Lazos huc non venisse, quia aliquod vestigium Fidei Catholicæ secum attulissent. Qui autem in Poloniam venerunt cum Lecho, omnes erant Gentiles. Obviatur effugio *Lengnich*, quod emigraverint ante Baptismum *Tzadi* initio Sæculi VI. Ostenditurque Colchicam Gentem si non Sæculo I. certissime Sæculo IV. Fidem Christianam suscepisse.

SECTIO V. Ostenditur ad extremum Lazos, non degenerasse in *Licikavicos* Witichindi, & Lazorum Nomen circa Vistulam nunquam notum fuisse. Exploratur autem, Licikaviki qui fuerint populi, & quis *Miesika?* Princeps ipsorum, quos voluit Witichindus exprimere.

IN

IN LECHUM
PRÆLUDIUM.

Plus quam XII. Sæculis in pacifica poſſeſſione locum ſuum tenuit apud Hiſtoricos Polonos *Lechus*, Primus Lechitarum, ſive Polonorum Regni Fundator: nunc tandem impetitur, & non ſolum ex Codicibus, ſed ex memoria hominum deturbatur. In cujus, Poſterorumque Ejus gratiam, Diſſertationem conſcripſi, eique brevem περὶοχην præpono.

SECTIO I.
Explicatur Motivum ſcribendi de Lecho.

I. Tanta famæ aviditas aduſſit nonnullos, ut, cum modeſte ſperare potuiſſent illam comparare, & aſſequi via recta; nimia ſubtilitate quærunt per invia. Ut autem Sequaces erroris ſui habeant blandis diſcurſibus fatigantes obvios quosque, veſtigia jam tritæ veritatis abolere ſtudent, ut ipſi pro Ducibus ſalutentur.

2. Horum intentum minus recte ordinari ſuppono, dum, per aliorum ruinas aſcendere nituntur. Et licet non adeo honorificum ſit, authoritatem vetuſtati negare, ac ſubſiſtentem in gradu ſuo veritatem evertere, minus tamen illos curare puto, quid judicatura ſit Poſteritas? modo illorum notitia (quocunque titulo) inclareſcat. Magnum laborem, & eximiam doctrinam, æſtimabiliorem redderent, niſi agerent, quod poſſunt, ſed quod expedit. *Wandali, Gothi, Longobardi*, cæteræque barbaræ gentes, plus laudis nunc mererentur, niſi poſt victorias, & glorioſe geſta, cum minori reverentia, Antiquitati manus injeciſſent, contra quos everſa monumenta, & quæ vi, ferro ac igni reſtiterunt, Baſilicæ, ac Amphitheatra, apertis fiſſuris, & hiatibus, clamarent; ſpectatoribus minorem fortitudinis æſtimationem perſuadendo.

3. Videmus nunc, frequentius idem contingere inter doctos, quod olim contingebat Viris bello claris; dum & iſti, propria deſerendo Bona, vel minus curando, alienis ſpoliis ditari cupiunt. Hinc advertimus illas opiniones, cum ex Sacra, tum ex Profana Hiſtoria, jam propulſatas, & ad Talmud, vel Ægyptiorum, aut Græcorum fabuloſa tempora relegatas, iterum produci in Theatrum, ut nova credantur, quod abjecta jam pridem, non fuiſſent viſa: contra vero, longo tempore a veritate præſcripta, ad examen vocari, aut negari, experimur, indubitata.

4. Hanc ſortem experti ſunt *Lechus* cum *Czecho*, famoſi quondam Gentium Slavicarum Principes, quos exauctorare tentant nonnulli, non tam valentibus armis, quam nutantibus in omnem auram calamis. Vellem meminiſſe illos Regulæ, quam ſibi, *Divus Hieronymus Præf. in Lib. Salomonis*: & modeſtis Scriptoribus, propoſuit; *Neque enim ſic nova cudimus, ut vetera deſtruamus.*

Quid

5. Quid enim superesset tam sanctum, tam solidum, & certum? si nova inventa, veteribus obstarent, neque enim illis, neque sibi, securitatem promittere possent. Si tolluntur fumosæ Antecessorum Imagines, quod vetustæ sint, tollitur incitamentum virtutis, quibus positis fervor accenditur, ut de Romanis testatur *Salustius in Bell. Jugur. sæpe audivi Q. Maximum, P. Scipionem, præterea præclaros nostræ Civitatis Viros, ita dicere: cum Majorum Imagines intuerentur vehementissime sibi animum ad virtutem accendi.* Delens Antecessorum gloriam, quid vult? nisi ut posteris persuadeat ignaviam. Ad vitandum hoc malum probatissimorum Virorum incitatus exemplo, ejectas primorum Regni nostri Heroum memorias, cum strenuo omnium antesignano Lecho, suo loco restituere proposui. Ut non degeneres posteri, illos respiciendo, ad similia excitentur.

SECTIO II.

De Antilechitis, eorumque modo probandi suas Propositiones.

1. Gentes duæ Slavicæ, Poloni, Bohemique, ab immemorabili tempore in sua Historia proprios venerabantur Principes *Lechum* & *Czechum*, qui illorum Antecessoribus jura dederunt, limites ampliarunt, & formam Regiminis reliquerunt. *Hermannus Schminckius*, *Goldastiensis*, primus fuit, qui Sæculo XVII. existentiam Lechi & Czechi in dubium vocavit. Delituit multo tempore inter blattas, & tineas hæc opinio, donec ab aliquot doctis Scriptoribus hujus Sæculi, tanquam propriæ mentis inventum, in lucem protruderetur.

2. Desperarunt hi, ab antiquis Sæculis radicatam in mentibus prudentum fidem, posse vinci debili manu. Evellenda prius ipsis videbatur hæc arbor, ut eo loci, novæ inventionis surculi crescant, alias, nullum vigorem habituri. Hoc solo felices puto, quod suo Genio similes invenerint Lectores, qui cum plausu ruunt per declive, non, quod hac eundum esset, sed, quod recens vestigium ostendat, hac itum esse.

3. Argumenta probantium plerumque basilica sunt, & impetuosa, non confidunt forte propositionibus suis, neque putant, legentes posse flectere ratione, volunt trahere imperio. Terrent igitur (nisi assentiantur) inter temere credulos, & ignavos criticos, annumerandos fore. Hinc contrarios opinioni suæ, sardinico risu excipiunt, velut superstitiosos antiquitatis fautores, fabulas pro veritate nundinantes, appellando, & magaricis jocis a veritate acceptanda, vel ulterius examinanda revocando.

4. Adjiciunt, non tam Sententias, quam Syncrusios Cachinnos, impracticabili more intrudunt, verborum acumina, quibus pungant illos, qui novitati adversantur, imperitos Historicos, præventione laborantes, obviorum admiratores, appellando; interdum, verborum & sententiarum lenocinia miscent, ut, si non convictos, hilares saltem inveniant Lectores. Cum tamen, salibus his uti non soleant, nisi qui sale carent. Necessaria quidem Historico παῤῥησία sive *libertas in dicendo*, sed, aperta, candida, modesta, indagationi veritatis, non irritationi, vel contemptui aliorum serviens.

5. Erro! fateor tamen, quoties tam severos Criticos legere contingit, illico mihi persuasus sum, debilia futura argumenta, quorum efficaciæ ipse Author diffidens, præoccupat his ambagibus mentem Lectoris, & terret. Quod enim

enim rationibus evicturum ſe deſperat, hoc illuſionibus his perſuaſurum, putat. Ego vero Sententiam approbo *Tullii Lib. 2. de Oratore.* dicentis: *In Hiſtoria, ſine hac judiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis, proſequendum eſſe.*

SECTIO III.

Explicatur Finis & Ordo, quem ſcribens ſibi proponit.

1. Contra Antilechitas probaturus exiſtentiam Lechi, non æmulandi, vel contendendi gratia, brevem hanc Diſſertationem ſcribendi munus aſſumpſi, verum amore veritatis, & impulſu eorum, quos revereri mihi ſolemne eſt, & quorum judicio approbari, vel admoneri honori duco.

2. Quantumvis autem in Hiſtoria veritas δυσεύρετος, id eſt *difficilis ſit indagatu*, illam tamen obrutam jam tot rationibus in contrarium adductis, omnino inquirendam eſſe propoſui, & inveniendam confido, ſpem erigente *Polybio in Excerptis Lib. 13. dicente: Equidem exiſtimo, Naturam mortalibus veritatem conſtituiſſe Deam maximam, maximamque illi vim attribuiſſe. Nam hæc, cum ab omnibus oppugnetur, atque adeo omnes nonnunquam conjecturæ a mendacio ſtent, ipſa per ſe (neſcio quomodo) in animos hominum ſe ſe inſinuat: & modo, repente illam ſuam vim exerit: modo, tenebris abjecta, longo tempore ad extremum ſuapte vi ipſa vincit, obtinetque, & de mendacio triumphat.*

3. Ut autem votum meum quoquo modo aſſequi valeam, præſens Opuſculum in tres Partes diſtribuere propoſui.

In *Prima Parte* Lechum ex genere Slavorum aliquando extitiſſe, & in Polonia regnaſſe oſtendere contendam. In *Secunda Parte* Objectionibus illis, quæ contra illius exiſtentiam communius proponuntur, vel proponi poſſunt, ſatisfaciam. In *Tertia Parte* ſpecialiter Syſtema *Godefridi Lengnich*, & aliorum probantium, Lechitas, ſive Polonos, Lazis, populo Colchidis, ſuam Originem debere, examinabo.



PARS PRIMA.

In qua ostenditur Lechum defacto extitisse.

Muneri meo, quod assumpsi, satisfacturus, & Lechi existentiam probaturus, opportunum judicavi; antequam ad substantiam rei accedam, partitim examinare ipsam primam Originem Slavorum, ex quibus Lechum prodiisse omnes fatentur. Unde sit.

SECTIO I.

De Scytho-Sarmato-Slavis inter quos Lechus natus est.

1. Licet de *Lecho* tantum tractaturus sim (quem nemo Slavum fuisse negat) rite tam de Gente Scytho-Sarmato-

Sla-

Slavica quædam prænotanda esse duxi. Quia namque diversarum Gentium memoria occurreret, ac inde succrescere dubium posset, cujusnam Generis fuerint populi mox citandi? necesse judicavi prænotare ipsam primam originem Polonorum. Nec otiosum, vel superfluum esse duxi, sequi hoc in passu *Salustium*, qui in *Jugurta* a bello Numantino incepit, ut *Micipsæ* Consilia melius perciperentur. Et in *Catilina*, prius incrementa Urbis descripsit, *ut ostenderetcorruptam Civitatem, cujus & pars esset, Catilina* (inquit *Julius Cæsar Scaliger Lib. 4. Cap. 16. de Poët.*) Hæc exempla sequens, ostensurus Lechum ex Slavis ortum fuisse, & ad Slavos venisse, illa breviter collecta, huc transferre proposui, quæ in *Sarmatia Europæa* ferme per totum fuse deduxi. Nempe Scythas, Sarmatas ac Slavos, unam Gentem fuisse. Et quod Sarmatæ Scythis, & Slavi Sarmatis successerint, tanquam virtutis & generis hæredes, solo tantum Nomine differentes, ostendi.

2. Primitus, omnes Gentes versus Occasum, & Septemtrionem, colliminatæ Asiæ majori, *Scythæ* dicebantur, sicut, qui cis, & ultra Gangem habitabant, sub nomine Indorum veniebant.

Quæ autem a Gente Scythica numerosissima æque ac bellicosissima gesta sunt (præter Bella Vexoris cum Tanao) prorsus ignorantur. Expeditio in Asiam majorem (cujus Imperium viginti octo annis tenuerunt Scythæ Teste *Herodoto Lib. 4. cap. 1.*) duce *Madye Protothyæ* Filio (ut suppono) dicto sic a *Madia* Urbe Colchidis, illos notiores Orbi monstravit.

3. Forma tamen Regiminis, Oeconomia, morumque Leges vix innuuntur. Et hoc ideo, quod Gentis potentissimæ limites nullus ausus fuerit intrare. *Ut notavit Herodotus Strabo, Diodorus &c.* quos citavi *Sarmat. Europ. Cap. 1. §. 3. seqq. & Cap. 3. per totum, & Cap. 7. §. 5.* Huic autem populari Nomini occasionem dederat, perpetua Gentis de loco in locum Castrorum translatio, quæ Slavice *Skytanyé* seu *divagatio* di-

ci-

citur. Quod tamen Nomen sensim in aliam appellationem degenerabat, postquam Primoribus Gentis, ad normam aliorum populorum placuit civitates extruere, & post exantlatas in bello vires, inter septa plurium domorum, & collectarum Familiarum, ad extremum saltem vitæ, quiescere. Diu tamen (licet e Castris ad Castella migrarint) nomen Scytharum retinuerunt, Slavice dicti *Skythy* seu *vagabundi*. Nec aspernati nomen primitus Genti inditum, quod pro exigentia rei, impellente necessitate, vel provocati vindicta, fama, aut furore Martio, tentoria, & papiliones de uno loco ad alium frequenter transferre cogerentur.

4. *Scythis* successerunt *Sarmatæ*, alio quidem nomine dicti, sed ejusdem Generis Populi. Hoc primitus differre videbantur, quod non ex Scythicis Mulieribus, sed ex Saracenis geniti fuerant. Ut colligitur ex *Herodoto Lib.* 4. *Cap.* 99. Has Mulieres propter bellicam virtutem, qua (in Castris, & inter arma viventes) pollebant, antiqui *Amazonas* dixerunt. Sed cum Sarmatæ inclarescere Bellis cœpissent, & primi semper, Romanis ac Græcis occurrerunt, frequentius extunc, nomen Sarmatarum, quam Scytharum vulgabatur.

Tandem teste *Plinio Hist. Nat. Lib.* 4. *Cap.* 12. *Scytharum nomen usquequaque transiit in Sarmatas.* Authores tamen nonnulli, & Poetæ, *Scythas & Sarmatas* confundebant, & utraque voce, tanquam Synonima utebantur. Sarmatarum nomen inter Scythas natum est. Cum enim Scythæ rediissent ex Asia ubi *Seras* sive *Saracenas* uxores duxerant, susceptos filios *Zsary Maty* scilicet ex *Sara Matre*, Sarmatas dixerunt; ad distinctionem illorum, qui ex utroque Parente Scythicæ Gentis procreati fuerant. Quod fusius declaratum *Sarm. Europ. Cap.* 3. §. 4. & 5. Ubi probatum, arbitrarie quæri Ethymologiam Scytharum, & Sarmatarum apud Hebræos, & Græcos, cum clare pateat utramque denominationem, ex Sclavonico idiomate assumptam esse.

5. *Slavi* tandem iidem *Scytho - Sarmatæ* dicti ſunt, poſtquam armis iuclaruerunt, & notiores Gentibus, propter Bella, affinitates, pacta, eſſe cæperunt. Dicti, vel a *fama*, quod slavice *Slawa* exponitur, quod non lucri, ſed famæ comparandæ gratia pugnarent. *Juxta Cromerum de Orig. Polon. Lib.* 1. *Cap.* 8.; Vel a *Slowo* quod fideliter *verbo* ſtarent, nec unquam Pacta, atque promiſſa violarent. Ut deduxi *Lib. de Origine Linguæ Senten.* 1. Male autem τὸ *Slowo*, exponit *Crantius: verboſitatem, & garrulitatem* eſſe dicens. Cum non *Slowo*: ſed *Gwár*, dicitur. Et quemadmodum nomen *Slawa*, *fama* ab omnibus eſt appetibile, ac facile illis, qui hoc merentur, tribuitur a vicinis, ut ſui quoque Incolæ excitentur ad ſimilia: ita omnes fere Scythycæ ac Sarmaticæ Gentes, hoc nomen aſſumpſerunt, vel ab aliis impoſitum retinuerunt. Hinc *Cedrenus in Baſilio Maced.* Serbos, Chrobatas, Zachlumios & Cæteras Gentes Scythicas, uno nomine τῶν Σθλαβίνων *Sthlavinorum* comprehendit. *Et Helmoldus Chron. Slav. Lib.* 1. *Cap.* 1. Ruſos, Polonos, Pruſſos, Bohemos, Morachos, Ungaros, & alios uſque ad Metropolim *Chues* (ſcilicet Kijoviam) Slavos eſſe dicit. Et *Cap.* 2. Vandalos, Winithos, ſeu Winulos, Pomeranos, *Herulos* ſeu *Helvetos Leubuſos*, *Wilinos*, *Obotritos*, *Polabos*, *Wiltzos*, *ſeu Luticos*, *Wagiros Ranos*, *ſeu Rugianos* Slavicas Gentes fuiſſe teſtatur. Licet a Græcis & Latinis, diverſimode exprimerentur. *Græce* quidem Σγλαβηνοί σκλαβοὶ, σκλαβίνιοι σθλαβῖνοι: Latine vero *Slavi Sclavi*, *Sclavini*, *Slavini*, *Sclaveni*, *Slavonici*, *Slavici* appellabantur. *Hunnos* nomine tantum a Slavis diſtinguit *Theophanes ad Conſtanſtantis Imper. An.* 23. Abaribus Slavos conjungit *Author Chronici Paſchalis ad An. Heraclii Imper.* 26. *Photius in Synopſi Theophilacti*, *Simocattæ Lib.* 3. inquit οἱ δε Γεται ἢ τοί Σκλαβοί: *Getæ* ſive *Slavi*. *Procopius autem de Bello Gothico Lib.* 4. *Cap.* 5. Hunnos, Gothos, Wandalos, Slavos, Gentes Scythicas eſſe dicit. Ex quibus rite infertur,

anti-

antiquos etiam Historicos, non ignorasse, imo expresse tenuisse, Scythas, Sarmatas, Slavos, eandem Gentem fuisse diversis tantum appellationibus, distinctam.

6. *Cromer de Orig. Polon. Lib. I. Cap.* 11. sentit nomen Slavorum ante *Procopium* & *Jernanetem* ignotum fuisse; sane tamen intelligendus, cum *Blondus Dec. Lib.* 1. sub Arcadio, & Honorio, illorum meminerit. Permittendumque, Slavos inauditos quidem Historicis fuisse, & sub Justiniano inclaruisse; extitisse tamen sub hac denominatione cettissimum. Cum in Thraciam & alias Provincias, jam sic dicti venissent. Nec *Procopius* hanc appellationem novam esse dicit, sed excursionem. Ex quo, solum colligitur, *Slavos* vel *Slavinos* apud vicinos circa Pontum, taliter ab antiquo fuisse appellatos. Quorum tamen prima notitia ad Romanos venit sub Arcadio, vel Justiniano, licet Genus ipsorum idem esset quod & Antiquorum Illyricorum, Dalmatarum, & cujuscunque nominis Gentium, quod planius explicandum occurret inferius: 1. *Par. Sect.* 8. *Num.* 6. *sequ.* Hæc vero ideo prænotare volui, ut si quæ Gens, hic adducenda erit, vel alia similis occurreret inferius citanda, sciat Lector nomen ipsius esse novum, & uni alicui Tribui datum. Gentem tamen Slavicam fuisse antiquam, & amplissimam, in qua (confusionem vitando) dispersas Tribus, propriis nominibus distingui, necesse fuit.

SECTIO II.

Polonia, Pars est Veteris Sarmatiæ, ex qua excluditur Lechus: & cur a Polonis defendatur.

1. Nemo Historicorum & Geographorum dubitat, hanc partem Scythiæ antiquæ, ubi nunc Polonia subsistit, Sarmatiam quondam, postea *Sueviam magnam*, vel potius *Slaviam magnam* dictam fuisse. Tot enim monumenta supersunt, id probantia, ut, ne Opinioni quidem in contra-

rium, ſuperſit locus. Nam hi, qui a meridie Poloniam ambiunt, *Montes Carpathici*, cum apud Veteres, tum apud Modernos Scriptores *Montes Sarmatici* appellantur.

2. Idioma etiam priſtinum retinere Polonos (licet melius excultum quam aliæ Gentes Slavicæ habeant) quamvis experientia teſtetur, probavi tamen fuſius *Lib. de Orig. Ling. Polon. fere per totum.* Unum eſt quod ex hiſtoria noſtra expungere volunt nonnulli (præcipue Germani) ſcilicet: Extitiſſe aliquando Lechum, ac Genti meliorem formam Regiminis dediſſe, illam, ex diverſis ſatrapiis in unum corpus Reip. collegiſſe, & hicce regnaſſe; ſed quæcunque de illo narrantur puram fabulam, ac figmentum Recentis alicujus Scriptoris eſſe, dicunt. Inter alios *Godefredus Lengnich diſſertatione de Majoribus Polonorum ſecutus Schminckium* negat, Lechum aliquando extitiſſe. Thema hoc §. 3. proponens. *Videtur mihi Lechus ille, quaſi Minerva altera, ex cerebro, non Jovis, ſed Recentioris Scriptoris natus, ac credulitate ſectatorum enutritus, ad illam magnitudinem perveniſſe, qua hodie oſtentari ſolet.* Et infra §. 18. dicit: *Lachos* non a *Lecho* denominari; imo Gentem (& ſi quando extitit) ipſum *Lechum*, a *Lazis* nomen ſumpſiſſe, concludens: *Lechum autem nondum probarunt ii, qui fide Recentiorum abrepti, ſolo aſſenſu partes tuentur.* Idem *principio Hiſto. Polon. P.* 1. §. 2. dicit. *Et quæ de Lecho ejusque ſucceſſoribus ad Piaſtum uſque, & ultra memorantur, ſunt obſcura, fabuloſa, & falſa.* Paratus (ut ibidem inſinuat) etiam *Piaſtum* negare: niſi libertati ſentiendi obſtarent, tot ſurculi Familiæ Piaſteæ in Ducibus Sileſiæ, Pomeraniæ &c. quas enumerat *Spener in Syllog. Genealog. Hiſt.*

3. Nihil quidem detrimenti patitur Gens Polona ex pura hac negatione; nec tantillum accreſcit emolumenti ex aſſertione. Hiſtoriæ tamen integritati rerumque geſtarum ordini præjudicat, tollere a Capite illa, quæ hucuſque indubitata fuerunt. Multum laboris impenſum eſt ab Hiſto-

ricis,

ricis, qui res Polonorum, in profundo ignorantiæ jacentes, in lucem extraxerunt, ſudor illorum multi æſtimandus, nec permittendum, ut tanti meriti opus, de manibus gratæ poſteritatis excutiatur.

4. Non nos dicimus cum Arcadibus, *aſtris Lunaque priores.* Protoparentes noſtros oſtendimus, illosque defendere obligati ſumus. Dignum, ut repetam hic illud *Plinii Jun. Lib. 1. Epiſt. 8. Mihi pulchrum imprimis videtur, non pati occidere, quibus æternitas debetur.* Neque ſcrutor Antelechitarum animum, quod motivum impugnandi hanc partem noſtræ Hiſtoriæ habeant? Suppono tamen, rectam fuiſſe intentionem, non aliam, niſi ut exerceantur ingenia, & ut res aliquantulum obſcura, magis eluceſcat.

SECTIO III.

De Antiquitate Nominis Lech quod non ſit novum aut confictum.

1. Lechum, cum dicimus Principatum geſſiſſe inter Polonos, juſtum eſt inquirere ſuper Ipſius nomine, & quærere, an eo Lechus primo inſignitus fuerit, an non aliqua Familia illo ſe diſtinxerit? Fueritque vulgare, & pluribus commune? Vel certe, fictum, fabuloſum, & ita recens inventum dici valeat, ut nunquam prius auditum, oſtenderet ſua novitate excogitatum fuiſſe ab aliquo Recentiore ad cohoneſtandam Gentem Polonam. Sicut nomen *Quirini* Romulo; *Melicerti* a Græcis nomen *Polæmonis*, a Romanis *Portumni* inditum erat, dum in numerum Deorum referrentur.

2. Multa tamen ſunt quæ Lechi nomen, nec fictum, nec vulgare fuiſſe, teſtantur. Imo ubicunque habitarunt Slavi, vel excurſione, ac præclare geſtis attigerunt, Scythæ, ac Sarmatæ, nominis *Lechici* monumenta poſteris reliquerunt. Hinc eſt, quod præter Europam, in Aſia

quoque minori, imo apud Armenos, & Perſas; in Europa, per Germaniam, & Græciam, Veſtigia hujus nominis crebra occurrant, & quod multo plura fuiſſent, adhuc Faſti, & memoria hominum teſtantur. Variat quidem nomen hoc, ſecundum diverſas loquentium dialectos, ſecundum quas, alii literas immutabant, alii minuebant, alii transponebant. Nemo tamen a radicali *Lech*, procul abeſſe judicabit, nec hanc alterationem in malam partem aſſumet, cum ne nunc quidem propria nomina, ab hac accidentali mutatione immunia ſint. *Vide infra parte 2. Sect. 1. per totum.*

3. Meminit *Voſſius de Poet. Græcis Cap. 3. Leſchi*, ſive *Leſchetis* antiquiſſimi Poetæ, qui Olympiade 30, id eſt annis ante Chriſtum natum 660. vixerat; Opera illius perierunt, manſit tamen memoria in nonnullis verſibus, quos citarunt plurimi Græci. Utrum idem ſit an diverſus, a *Leſche* Hiſtoriæ fabuloſæ Scriptore? litem dirimendam aliis relinquo. Suſpicor! nec vane: an prædicti non fuerint Thraces, ſeu Scythæ? Græcis adſcripti, quemadmodum *Orphæus*, *Ariſteas* &c., quos probavi Scythas fuiſſe *Sarmat. Europ. Cap.* 8. §. 1.

Viri etiam Illuſtres ſimili diſtinguebantur nomine *Lycus Lariſſeus*, Victor in ſtadio Olympico *Olymp.* 82. anno ante Chriſtum 452. floruit. *Ricciolus in Chronol. Cathalog.* 25.; Alius etiam *Lycus* inter Reges Scytharum quondam non ignobilis Avus Anacharſis Philoſophi celebris, memoratur *a Herodoto Lib. 4. Cap. 76.*

4. In Athenienſium Rep. duo Clariſſimi Duces numerantur uterque *Laches* dictus. Unus Dux Exercitus contra Thebanos: cujus meminit *Diodor. Siculus Lib.* 16. Alter pariter virtute Militari inſignis, qui Leontinos a Siculis oppreſſos ſtrenue defendit apud *Thucyd. Lib.* 3.

Inter Sparciatas vero *Liches* unus ex bene meritis, ſcilicet ex Militia equeſtri egreſſus ſenex, annotatur *a Herodo-*

to Lib. 1. *Cap.* 67. *Lichas* quidam Lacedæmoniis amabilissimus, quod peregre proficiscentibus Lacedæmoniis ad ludos illos qui a nudis exhibebantur, cænam præbere solebat. *Xenophon memorabil: Lib.* 1.

5. Et quia mos antiquis fuerat nomina Virorum Illustrium Urbibus Provinciis, Fluviis dare, ideo nonnulla monumenta *Lechici* nominis hic annotare non pigebit. In Europa, fluvium Vindiliciæ, inter Sueviam ad Occasum, & Bavariam ad Ortum, per *Augustam* labentem, Danubius excipit, qui Fortunato, *Licus*, Ptolomæo *Lydas* dicitur. A Populo autem, nomen proprium Fluvii, certius retinente, vulgo *Lech* dicitur, & taliter in Chartis Geographicis a diligentioribus ponitur. Notus est ob plures Victorias ad illum obtentas, ut videre est *in Annalibus Bertinianis ad Annum Christi* 832. *apud Paulum Langium ad annum* 955. *Siffridum Presbyterum ad Annum* 950. Qui & campum fluvio vicinum *Lechfeld* appellari dicunt. Certe *Lechus* quispiam fluvio & campo nomen dederat, vel in gratiam *Lechi*, sic appellatus est. Hunc fluvium *Paulus Warnefridus de Gestis Longob. Lib.* 2. *Cap.* 13. *Lecham* non *Lechum* dicit, sed erronee.

6. Famosus etiam fuit Portus Corinthiacus apud Cinidios, quem Isthmus *Lecheon* intercludit, de quo *Statius Theb Lib.* 2. *V.* 381. (*Curva Palæmonia secluditur unda Lecho*) Meminit illius *Herodotus Lib.* 1. *Cap.* 174. Sed nomen proprium non annotavit. Nomen autem hoc illi fuisse impositum a *Leche* viro strenuo testatur *Pausanias in Corinthiacis.* In vicino campo, qui ad prædictum *Lechæum* late patet, Agesilai Cohors cæsa est a Lacedæmoniis *Xenophon Hist. Græc. Lib.* 4. Non recens igitur neque vulgare fuerat nomen Lechi, quo Illustres Viri distinguebantur, & memoriæ conservandæ gratia, apud Posteros, locis, & fluminibus præstantioribus, impositum erat.

7. Græci quoque, & Latini Poetæ, ad ornandas fabulas

suas,

ſuas, aut veritatem, ſub cortice ficto occultare volentes, Lechico nomine illo honorifice uſi ſunt. Meminit *Seneca in Hercule, Fur. Act.* 5. ℣. 2. *Lyci* qui Regnum Thebanorum invaſit quo tempore Hercules ad inferos deſcendit. Memoratur *Lycus Mariandyniæ* Rex, qui Argonautas hoſpitio recepit. *Valer. Flac Lib.* 4. ℣. 225. Item Nobilis Trojanus Æneæ Comes, *Virgil. Æneid. Lib.* 1. ℣. 173. *Lychus* etiam Priami Filius. Item unus ex Centauris ejusdem nominis.

8. Sed cur tantæ denominationes Virorum? imo locorum, & fontium? a Lecho deſcendentes, quarum aliæ defacto anteceſſerunt, aliæ ſucceſſerunt. Hæ certe appellationes Virorum paucæ ſunt, ſicut paucos, & quidem optimos, hoc nomine decuit inſigniri. Loca & fluvii ab antecedentibus Viris Illuſtribus denominationem ſumpſerunt. A noſtro Lecho forte plurima loca denominationem ſuſceperunt, ubi ille monumenta ingenuitatis ſuæ reliquit. Quod autem nimis diſſita ſint, & extra Poloniam? Reſpondebo id, quod *Dionyſius Halicarnaſſæus* de monumentis Æneæ reſpondit *Lib. Antiqu. Rom. Cogitet hanc dubitationem eſſe vulgarem præſertim de iis, qui Illuſtri fortuna vitam egerunt vagam, & inſtabilem: & intelligat, quod quamvis locus unicus capit corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta ſunt, in gratiam acceptæ utilitatis cujuspiam; præcipue ſi ſupereſſent reliquiæ Generis, aut oppidum aliquod conditum, aut ſicubi longiori uſi ſint hoſpitio.* Cur autem diverſimode inflexum ponatur hoc nomen? reſpondebitur hic infra *Part.* 2. *Sect.* 1. *per totum.* Sufficit pro nunc, Lechi nomen, non eſſe a Recentioribus inventum, ac excogitatum, ſed antiquum, & nobile.

SE-

SECTIO IV.

Lech Nomen antiquum: usitatum pro denotanda Dignitate Personæ, transiit in proprium.

1. Omnes Viri prædicti, Illustres fuerant, & in singulari, sic appellati, nulla vero Familia, usque ad Lechum Principem Poloniæ, invenitur, quæ tanquam Patronimicum hoc nomen ad Posteros transmitteret. Et quoniam præcipua virtute, & arte bellica, Lechi omnes commendati fuerant, nomen hoc, ad distinguendas Personas, & Dignitates Eorum explicandas, a *Sarmato-Slavis* assumptum fuerat. Taliterque dictos fuisse Duces notabilioris exercitus, aut Præsides Provinciarum, valde probabile est.

2. Successu vero temporis nomen hoc appellativum transiit in proprium; si non alibi, certe inter Polonos, ubi Reges aliquot, & Principum Filii *Lechi* dicti sunt. Et quemadmodum apud Indos *Taxiles*, apud Ægyptos *Pharaones*, apud Persas *Chosroes*, apud Romanos *Cæsares*, a primis hujus nominis Regibus, nomen adoptabant; Ita apud Polonos Successores *Lechi*, eodem nomine, vel diminutive *Lesci* dicebantur. Licet enim Historici taceant Gesta Successorum Lechi, regnasse tamen, & successisse sibi invicem sub eodem nomine, sat probabile censet *Mathias a Miechovia Chron. Reg. Pol. Lib.* 1. *Cap.* 4. *Et Iodocus, Ludov. Decius de antiquit. Polon. Lib.* 1.

3. Nec insolitum hoc: Etenim, *Batti*, Regem quondam significabat: postea tamen in nomen proprium unius Familiæ transiit: *Teste Herodoto Lib.* 4. *Cap.* 155. Et apud Scytho-Slavos nomen *Kan*, *Kachangan*, *Kahan* denotasse Principem vel Regem, novimus ex *Theophilacto Lib.* 7. *Cap.* 7. *Qui se* (id est Hunni) *Abares & Principem suum Chaganum honoris causa nominarunt. Vide quoque Sarmat. Europ. Cap.* 14. *No.* 5. Quod deinde appropriatum est uni Familiæ Regiæ. Quæ dispersa per varias Provincias

nomen suum diffamavit. Nam Bavarorum seu potius Avarum Reges *Cacâni* dici voluerunt. *Joan Bohæmus de Mor. Gent.* Hunnorum Regis *Cabani*, sive *Cagani*, meminit. *S. Gregor. Turon. Lib.* 4. *Cap.* 24. De hac stirpe fuerat *Chaganus* Rex *Gazarorum*. Item *Chaganus* Arbiter Scytharum, cujus filiam Leo Imperator filio suo uxorem dedit. Itemque alius *Chaganus* Rex *Avarum*, de quibus videatur *Paulus Diac. Hist. Miscel. Lib.* 17. *Cap.* 8. *& Lib.* 20 *Cap.* 6. *& lib.* 21. *Cap.* 28. Meminit *Eginhardus in vita Caroli. M.* Hunnorum Principis, quem Carolus Filius Caroli M. a Lescone Bohæmo, sive (ut vult *Cromerus de Orig. Pol. lib.* 2.) a Lescone III. Poloniæ Rege defendit. Mansit etiam hoc prænomen circa Familiam *Scaligerorum*, & manet adhuc circa Familiam Venetam *Dandulorum* qui sibi præponere solent *Can*, vel alteratam vocem *Canis*, ad Posteros quoque hanc appellationem transmittendo.

4. Sed apud Romanos quoque juxta Genium antiquorum principales Familiæ, a primis suis Protoparentibus nomina sortiebantur, quæ illi ab Officio, casu, vel a rebus gloriose gestis sortiti sunt. Sic *Scipio* ab honesto pioque Patri obsequio præstito, quod illi cæso pro scipione servisset, *Scipio* dictus, nomen ex se natis dedit. Successores vero a rebus gestis agnomina addiderunt, & suis hæreditate reliquerunt. Unde alius *Scipio Affricanus*; Alius *Scipio Asiaticus* dictus est. Sic *Cicerones* a satione Cicerum, *Fabii* a satione Fabarum. *Murenæ* a pisce sic dicto, appellati: idem nomen, Filiis, & Nepotibus tradiderunt. De quibus videndus *Isidorus in Orig. Lib.* 1. *Cap.* 6.

5. Idem de *Lechi* nomine dicendum: Illum, vel propter illius innatam Generositatem, & ad ardua paratum animum, *Lechum* vel *Lachum* appellatum fuisse, ac nomen hoc nedum posteris, sed Genti a se conditæ reliquisse. In Slavicô namque *Lech*, *ingenuum*, *strenuum*, *Ducem*, significat, deductum a Slavico *Lecheon*, quod *multitudinem exercitumque* denotat. Et hoc nomen *Lecheon* cum tali signi

catione

catione non ſemel in antiquo Slavico Evangelio ponitur, ut pote *Math.* 26. ℣. 53. *Marc.* 5. ℣. 9. *Lucæ*, 8. ℣. 30. Græcum λάχης *Laches*, idem exprimit. Unde cum *Cerylus* Libertus admodum dives, ad ſubterfugiendum jus Fiſci *ingenuum ſe* & *Lachem* ſive *Lachetem* (mutato nomine) cæpiſſet vulgare, *Flavius Veſpaſianus* (ut teſtatur *Suetonius lib.* 8. *cap.* 23.) conceptis verſiculis reſpondit.

Ω? λαχης, λμχης, επαν γπυθανης
Αυθις εξ ἰπαρχῆς ειρήση Κηρύλος.

6. Hoc ergo nomine *Lechi*, primus Polonorum Rex diſtingui cæpit. Et licet ante eum plures forte hoc nomen aſſumebant; poſtquam tamen *Lechus* noſter quaſi per καλδογραφιαν ſeu *publicam conteſtationem*, Lechum ſe dici voluit, alii Duces (ſaltem in vicinis Oris Poloniæ) ab hoc titulo abſtinuerunt, in cujus nominis locum, aliud, idem ſignifigans, ſcilicet *Wodz*, ſubſtitutum eſt. Sed hæc quoque juxta diverſas Gentium Slavicarum dialectos, pluries alteratum fuerat. Sicque, *Wodz*, *Woda*, *Woyda*, *Wojewoda*, licet differre videretur, idem tamen denotabat, ſcilicet *Ducem Belli.* Poſtquam vero Regimen Polonorum, in ampliſſimas excreviſſet Provincias, ſingulæ Provinciæ ſuos Duces obtinuerunt, quos *Wojewodas*, ſcilicet *Woyny Wodzow*, ſive *Duces Nobilitatis*, ad Bellum exeuntis, dixerunt, hos Græci βοηβοδας appellant. Dux autem exercitus, alio recentiori titulo decoratus eſt, *Hetmann* dictus: Quod tamen nomen novum eſſe nec pure Slavicum, patet ex ipſa terminatione vocis, quæ germanica eſt. Dixi *ſaltem in vicinia Poloniæ*, nam alibi in Serbia, Dalmatia Croacia, Pannonia, adhuc nominis hujus pro Prænomine uſus fuit in familia præcipue *Attilæ*, & *Georgii Caſtrioti* ſive *Scanderbergi*, quales fuerunt *Lechus*, *Ducagini*, *Lechus Zacharias* & plures alii, a Petro *Rocham Cangio* &c. citati, qui videri poſſunt in eruditiſſima *diſſertatione de Lecho Celſiſſimi Principis Jablonovii.*

7. Quando vero Lech ſic dictus fuerat? non conſtat; ſufficit, quod aliud nomen ipſius apud Hiſtoricos non audiatur. Apud alias Gentes, ut Romanos ſupra adductos, ad diſtinctionem Perſonarum, aliqui binomines, quidam trinomines, fuerunt. Græci & Ægyptii ſingulari nomini, Patriam adjiciebant, ut: *Herodotus Halicarnaſſeus*; *Cteſias Cnidius*; *Pythagoras Samius*, *&c.* Scythæ tamen, Sarmatæ & Slavi, primitus ſingulari nomine contenti erant. Sic antiquiſſimi Viri Illuſtres unius nominis fuerant v. g. *Zamolxis*, *Orpheus*, *Ariantes &c.* ideo, quod cum Familiæ, nullo certo loco ſubſiſterent, Caſtra frequenter transferendo, nomen Patriæ, vel aliud, addere non habebant in uſu. Et licet poſtea hæc quoque addita fuerant, ut *Orpheus Thracicus* &c. hæc adjectio facta eſt a Græcis, & Romanis, morem proprium ſequentibus.

8. Dabantur vero apud Polonos & Slavos nomina propria circa depoſitionem comæ-ſeptennalis, quando in puero, vel filia indicia quædam futuræ virtutis prominebant. Sic dicti *Zemislaus*, *Miczyslaus*, *Wiſſomirus*, &c. Vel: ſi placuit a terris hæreditariis denominabantur. *V. g. Harywoy*: *Dominus Montium*; *Oſtrowoy*: *Dominus Caſtri*; vel: *acer in prælio*; *Swewlad*: *Hæres proprii Principatus &c.* Quandoque poſt res glorioſe geſtas conſenſu Populi nomen additum erat. Sic poſt victoriam Cyri, Regina, *Scytharum Tomyris*, ſcilicet *pacem adferens*, proclamata fuit. Sic adepto Regno Cymmeriorum, *Mrahomirus* appellatus fuit, ſcilicet *Dominus terræ nebulis tectæ &c.* Sed plerumque etiam duplici nomine, vel addito quodam cognomine Reges diſtinguebantur, ut apud Polonos *Boleslaus Pudicus*, *Boleslaus Krywouſtus*, *Vladislaus Loktykus*, *&c.* Ex quibus omnibus inferendum. Lechum quoque noſtrum, nomen hoc ſortitum fuiſſe ab Infantia, quod ad eximia opera, & ad Bella feliciter gerenda, natus videretur. Quamvis perperam negare haud velim, nomen aliud habuiſſe, ſed

virtute

virtute bellica principale nomen *Lechi*, acquisivisse, sicque binominem fuisse, donec in Poloniæ oras migrans, & pro supremo Principe salutatus, hoc nomen alterum Antonomasticum, utpote honorificum, & facilius a novo populo impositum, Dignitatem exprimens, & Personam distinguens, libenter tanquam proprium acceptasset.

SECTIO V.

Lech, primus Rex, sive Princeps Poloniæ, quisnam fuerit?

1. Demonstrare Mathematice, & infallibiliter, quisnam? & quibus Parentibus ortus fuerit Lechus? tantæ molis est, ut vix superari possit. Multa namque temporis distantia, Scriptorum inter Slavos defectus, & omnia susque deque versa in Europa sæculo VI. (quando venisse in has oras dicitur Lechus) certam notitiam minime permittunt. Non tamen res desperanda. Etsi quidem, a Synchronis Scriptoribus, de Origine Lechi certam notitiam, & expressam nominis ac Familiæ ipsius descriptionem habere non possumus, tamen adjecta Crisi, a Recentioribus dignis fide, antiquitatis diligentibus Exploratoribus, traditionum Paternarum rigidis examinatoribus, defectum oculatorum testium supplentibus, certum aliquid de origine Lechi determinare possumus.

2. *Mathias a Miechovia Chron. Reg. Pol lib.* 1 *cap.* 1 *tradit Lech* & *Czech* Nepotes *Javan* fuisse, ab *Helissa* descendentes, putatque in Croacia natos. Regiam in *Psary* habuisse ac inde primo in Bohemiam perrexisse, & in monte *Rzip* tentoria fixisse. Sed plus præstitisset, si propinquiores horum Principum Protoparentes posuisset. Explicata enim prima illorum origo, paucis satisfacit, utpote quod minori controversiæ subsit, omnes nos a Nepotibus & filiis Noe descendere. Hanc sententiam fabulosam dicit *Cromer.*

lib. 1. *cap.* 14. *sequ.* ut opinor, male interpretatus mentem Miechoviensis, quasi Lechum immediatum successorem *Helissæ* posuisset, cum ille primam solum propaginem a *Javan* ostenderit, cui Lech suam originem deberet. Alii aliam Genealogiam texuerunt, pauci propius, quam Miechoviensis accesserunt. Ex illis autem sola probabilitas colligitur, nec quispiam illorum, curiosis indagatoribus, satisfecit. Licet autem nullus fere Historicorum (ob rationes infra ponendas *Part.* 2. *Sect.* 5.) accuratam Genealogiam Lechi produxisse videatur, non tamen adeo incerta, vel ignota dici potest, ut prorsus ignoretur. Cum autem probabilitatem excedat, & quantum fieri potest, demonstretur, Lechum sæculo VI. vixisse, & extra Poloniam enutritum fuisse, ideo authores, qui hujus sæculi acta conscripserunt, examinati, ostendent nobis Progenitores Lechi, in Dalmatia, Serbia, Croacia, quæsitos, unde *Lech* prodiisse creditur.

3. Inter Historicos præsenti materiæ servientes primatum tenet *Presbyter Diocleates*, Slavus Dalmata, curiosus Actorum Gentis suæ scrutator. Conscripsit Librum Slavice; Latine post redditum, cui Titulus, *Regnum Slavorum.* Incipit Historiam a temporibus Anastasii Imperatoris, finit vero Anno 1161. Ipse vero floruit circa eundem annum, non diu forte superstes; ut tradit *Bandurius in Notis ad Porphirog. In cap.* 32. Alter est *Marcus Marulus Spaletensis Patritius* qui pariter conscripsit Regum Dalmatiæ, & Croatiæ Gesta; seu potius vertit in Latinum *Chronicon Slavicum*, & ut *Daniel Farlatus in Illyrico Sacro testatur Tom.* 2. *Pag.* 178. ipsius Diocleatis Dalmaticam Historiam, Latinam reddidit. Licet alii malint *Marulum* vertisse in Latinum Chronicon quoddam antiquum conscriptum Slavice, ab Anonymo, probato Historico, vel Coævo *Diocleati*, vel aliquantulum ipso Antiquiore. Hic pariter incæpit a temporibus Anastasii Imperatoris. Uterque eandem rem

tractat

tractat describendo Reges Dalmatiæ, Serbiæ, Croaciæ, Slavoniæ, eorumque Gesta.

4. Hi ergo ambo; primos Serbliæ, & Chrobatiæ Reges recensendo, hoc ordine ponunt, quo sibi, jure sanguinis, succedebant. I. est *Sfioladus*, II. *Ostroilus*, III. *Suculadus*, IV. *Selimirus*. V. *Radymirus*, & alii usque ad Vladimirum. Omnes autem cum Anonymis numerantur XXXIV. Licet prædicti Slavice aliter exprimantur. Scilicet *Swewlad*, *Ostrowoy*, *Wsewlad*, *Selimyr*, *Radymir*. Qui directa linea procedebant in successione Regnorum, quandoque omnium, aliquando Dalmatiæ solius, vel Serbliæ, ut sors permisit.

5. Sed quoniam Jure antiquitus recepto major natu Parenti succedebat, alii natu minores, extra Patriam sedes quærere coacti sunt. Ideo licet Jure naturæ omnes sibi æquales fuerint, Jure tamen successionis non gaudebant, quamvis ad familiam eandem pertinerent. Unde aliter coordinari debent ut successores Bonorm Patronimicorum: aliter ut surculi ab eodem stipite pullulantes. Hinc *Sfioladus* I. Licet unum tantum reliquisset Principatus successorem *Brusium* natu maximum, attamen tres habuisse filios, certum est, scilicet *Brusium*, *Totium*, & *Ostroilum*. *Sfioladus* sub Imperatore *Anastasio*, Principatum gessit, Eumque pleno Jure *Brusio* reliquit. *Totius* autem sive *Totila* junctis armis cum Ostroilo, versus Pannoniam proficiscentes, dexteritate sua Provinciam *Templanam* (ubi nunc Hungariæ Pars) deinde Dalmatiæ magnam portionem occuparunt. *Totila* quidem, acquisita Fratri reliquit, ipse vero excitatus fama suorum Gothorum, cum parte exercitus in Italiam perrexit, & rebus gloriose gestis, eo pervenit, ut post *Witigem* a *Bellizario* captum, ipse a reliquis Gothis, Rex fuerit electus.

Ostroilus autem reliquo Dalmatiæ, Illyrico, ac Myssia inferiori potitus, tandem *Brussio* steriliter decedente, sive (ut alii volunt) occiso, in *Prevalitana Regione* (quæ est Pars Macedoniæ) sedem posuit, Justiniano Imperatore.

Vo-

Volens autem versus septemtrionem ampliare Principatum *Svewladum* filium ad vicinas Gentes misit, quo ibi commorante, Græci potentiam *Ostrovoy* seu *Ostroili* metuentes, in illum, ferme inermem, irruerunt, eumque oppresserunt. Quod resciens *Swewladus* ab expeditione rediit, paucos Græcorum inveniens, eo quod se Slavis resistere desperassent, quos invenit, interemit, Regnumque possedit, sedem Regni transferendo in *Waldevino* (*Slavice Wendigrad*) quæ nunc Germanis *Wendisch - Mark* dicitur teste *Cluverio Introduc. Geogr. lib.* 3 *cap.* 12. *§.* 2. Id contigisse primo anno Belli Gothici, id est circa annum Christi 530 colligit ex Procopio, *Daniel Farlatus in Illyrico Sacro*, *Tom.* 2. *Pag.* 178.

6. Magnum vero tractum terræ occupavit Regimine suo, ut modernam Poloniam, & Walachiam (abstineo ab antiquis appellationibus Regionum, ne obscurus sim) attingeret. Ego credo *Sweoladum* (juxta aliquos) melius fuisse expressum nomine *Wjewlad* (quasi *vir, cui ad propositum omnia fluunt*, vel *omnia gubernans*) Congruunt enim omnia nomini ejus. Ille namque & feliciter Bella gessit, & omnia possedit, tum quæ Ipse acquisierat, tum quæ Jure successionis possederat. *Vide infra No.* 9.

Ostroilus sive *Odryllus* duas uxores habuisse dicitur: unam Gothici, alteram Slavici generis, & plures Filios genuisse creditur. Tres tamen solum numerantur præcipui: *Senulatus* II. sive *Svevladus*, *Czechus*, & *Lechus*, non quasi alii defuissent: sed quod hi præcipue distinguerentur inter ceteros. *Senulatus* quidem ideo annotatur, quod Patri successisset, & longa serie regnantem Familiæ Lineam extendisset: *Czechus* vero & *Lechus*, quod virtute, ac dexteritate sua, Fratri natu majori cedentes, & alio divertentes non solum terras, ac Provincias possederunt, verum numerosis populis, nomina sua indiderunt, & clarissima Regna fundarunt.

Adverte tamen, nomina prædictorum Principum a nonnullis alterata fuisse, nam *Joan. Lucius*, *in notis ad Dio-*

cleatem No. 2. *Sfioladum* appellat *Senulatum* I. *Wſewladum* autem appellat *Senulatum* II. *Jacobus* autem *Luccarius* nomina a *Diocleate* poſita retinet: licet aliquando cum *Marulo* pro *Senulato Sevioladum* ponat. Hæc collecta ex *Diocleatis* Libro, *Regnum Slavorum*; & *ex Marco Marulo Spaletenſi lib. de Geſtis Regum Dalmatiæ*, & *Croatiæ pag.* 79. *Jacobo Luccari in Anal. Raguſinis lib.* 1. *Author Hiſt. orb. ter. Geogr. Civit. cap.* 9. *ſect.* 1. *de Incolis. Crb.* §. 6.

7. Parum differt in coordinanda Linea Regum & Principum *Author Cathalogi Romani Pag.* 329. *ſeq.* Qui ponit Reges Dalmatiæ Orientalis *Oſtroilum*, *Sevioladum*, *Selimirum*, *Uladanum*. In Dalmatia Mediterranea ſeu Serbia *Selimirum*, & *Budimirum*. In Dalmatia Occidentali, ſeu Croatia *Corbatum* & *Porynum*. Iidem enim ſunt, qui prius enumerati fuerant. Et *Selimiri* non duo computandi veniunt, ſed unus, Dalmatiæ & Serbiæ Princeps. *Corbatus* ſive *Horbatus*, quaſi dicas *Gibboſus*: ſi idem eſt cum *Horywoy*, aut ipſe *Selimirus* erit, cognomine hoc adjecto, aut Filius ejus *Croatiæ* ſive *Horbatiæ* Princeps. Nomenque ſortiri potuit a gibboſitate; quæ forte non tam Perſonam, quam Regionem poſſeſſam, reſpiciebat. *Horb* etenim & *Hora* - Slavis ſunt Synonima, *montem* ſignificantia. Illi autem qui ab *Autore Cathalogi Romani* ſuperadduntur ſcilicet *Corbatus*, *Radymirus* & *Budymirus*: Filii *Selimiri* eſſe creduntur, inter quos ipſemet *Selymirus* terras armis vindicatas diviſit. Quia vero *Corbato* ſucceſſiſſe dicitur *Porynus*, defacto plures hujus nominis fuiſſe pemittendum. Iſte autem *Porynus* primus dicendus eſt. Horum omnium *Porphyrogenitus* non meminit, imo defacto illos ignoravit. Poſuit namque *Lib. de Adminiſtrat. Impi. Cap.* 31. *Porgam* eodem ſæculo X., quo ſcripſerat, viventem; Patrem autem Illius, quis fuerit? ignoravit, nec inquiſivit: unde Anonymum poſuit. *Joan. Lucius lib.* 2. *de Croatarum Ducibus* ſupplevit defectum ex *Thoma Archidiacono* probans *Porgæ* Patrem fuiſſe *Porynum*; licet non exprimat, primus ne? an ſecundus? vel tertius fuerit? Si namque

que Illum respexit, qui sub Heraclio Abares profligavit, remotissimus erit ab illo, quem *Author Cathalogi Romani* immediate post Crobatum ponit. Hic namque ad sæculum VI, Ille ad X. spectabit; Unde & illa omnia, quæ *Porphyrogenitus Cap.* 32. de Ducibus Serbliæ scribit, præsenti instituto non serviunt, utpote Lecho nostro multo posteriora. Ex his autem quæ hucusque dicta sunt, Arbor Genealogica talis formatur.

Hanc Genealogiam aliter formari, & coordinari non posse credo. Licet namque *Luccarius*, & *Cangius* Uxorem Selymiri Filiam *Istoki* esse dicant. Videtur tamen *Selymirum* satius *Justiniani* Filiam duxisse; *Istoki* autem sororem Ostryllo nupsisse. *Istokus* namque convixit *Justino* I., cujus sororem sibi copulavit (ut suppono) ante assumptionem ad Imperium: & parum, vel nihil supervixisse creditur Justino, qui decessit anno Christi 527. *Selymirus* autem tunc, vix natus fuerat, utpote, qui Patri Senulato II. successit anno 547. vel 556. adeoque senem jam, & provectam duxisset Uxorem. Convenit autem melius in vigore, ac ætate cum viro suo *Bigleniza* I. sive filia Justiniani, qui decessit anno Christi 565. adeoque Justinianus potuit Selymiro beneficia majora præstitisse, non solum, quod illius gener, sed & consanguineus quoque fuerit.

8. *Scio Diocleatem & Marulum* multos habere minus faventes, etiam ex illis, qui eorum testimonio in conscribenda Historia utuntur, plurium namque errorum illos accusant. Et *primo* quidem, quod cum Porphyrogenito in coordinatione Regum, imo nec in nominibus Eorum conveniant. Licet major danda sit fides Porphyrogenito Coævo Scriptori, quam illis, qui deinceps Sæculo XII. & XIII. scripserunt. *Secundo*: quod uterque Chronologiam plurimum perturbet. Reges, Pontifices jungendo, quos tempus distinxit, ut advertit etiam *Daniel Farlatus*, *in Illyrico sacro Tom.* 2. *p.* 144. *Tertio*: Quia Lechus dicitur fuisse

Inſerenda poſt Pag. 26.

GENEALOGIA PATERNA LECHI

Ex Porphyro, Theophilo, Diocleate, Marulo, Nicolao Alemano, Luccario, aliisque probatis Authoribus Coordinata.

- Senulatus I. ſive Sfioladus. Vulgo Swewlad quem alii cum Baduila confundunt, circa Annum Chriſti 502. genuit.
  - Bruſium, qui non multo tempore Patri ſupervivens ſterilis obiit.
  - Totilam vel Totium Oſtro-Gothorum Regem in Italia.
  - Odryllum, vel Oſtrilum vulgo Oſtrowoy, quem Procopius Aſinarium vocat. Obiit circa annum 535. Hic
    - Ex Uxore Gothici generis procreavit.
      - Senulatum II. vulgo Swewlad, vel Wſewlad, obiit An. 547. regnavit annis 12. Ex Uxore Gothica genuit.
        - Anonymum qui regnaſſe fertur Annis 9.
        - &
        - Selymyr, hic regnavit annis 12. Qui vero Anonymum non admittunt: dicunt regnaſſe annis 21. Obiit An. 568. genuit ex Biglenitza ſeu Filia Juſtiniani Imp.
          - Bladinum, ſive Wladynum Principem Dalmatiæ Orientalis.
          - Radymyrum Principem Prewalis.
          - Corbatum ſive Horywoy Principem Dalmatiæ Occidentalis ſeu Croatiæ. Hic genuit.
            - Porynum I. Hic gen.
              - Anonymum, ex quo
                - Porynus II. vixit circa An. Chriſti 920. genuit.
                  - Porgam.
          - Budymyrum Principem Dalmatiæ Mediterraneæ, ſeu Serviæ. Hic in Baptiſmo ſortitus nomen *Swetopetk* genuit.
            - Biglenitzam uxorem Juſtiniani II.
    - Ex altera Uxore Slava vel Illyrica *Biglenitza* Iſtoki ſeu Sabbatii ſorore genuit.
      - Czechum Ducem Bohemorum, qui genuit.
        - Crocum & reliquos regni ſucceſſores.
      - Lechum Ducem vel Regem I. Polonorum.
        - Lechum II. & reliquos Regni ſucceſſores per Annos 150.
      - Et juxta quoſdam Ruſſum.

Genealogia Materna Lechi.

Ex Theophilo Abb. in Vita Juſtiniani: & Nicolao Alemano in Not. ad Hiſt. Anecdotam Procopii Lib. 9. pag. 36. & 57.

- Juſtinus I. Slavus, ſive Thrax.
  - Juſtinianum I. Imper. ab Illiriis dictum *Wprawda*, hic ex Theodora Auguſta genuit.
    - Biglenitzam I. uxorem Selymyri Regis Dalmatiæ & Serviæ
      - Biglenitzam uxorem Juſtiniani II. Imper.
    - &
    - Biglenitzam II. traditam Dulciſſimo dictam Adelphis, hæc genuit.
      - Juſtinum II. Imper.
- Soror illius Biglenitza ſive Bielenica. Græcis Vigilantia: Nupſit Sabbatio Proceri Slavo, quem Illyrii dicunt *Iſtok*, vel *Iſtotnik*. genuit ex eo.
  - Ex Theodora illegitima uxore genuit.
    - *Zyrum* ſeu *obeſum*, vel pinquem
    - &
    - *Zyram* Filiam: hanc tamen non ſororem ſed Filiam Zyri dicunt nonnulli.
- Biglenitza Soror Iſtoki nupſit ſecundo voto Oſtrowoy ex qua
  - Czechus
  - Lechus
  - Ruſſus.

Slavus, Progenitores autem Illius adducuntur Gothi, ut patet in *Totila* Rege Gothorum, qui tertio Gradu tantum distat a Lecho.

9. Hæc quidem alicujus momenti essent, si substantiam, non accidentia impugnarent. Sed ad singula respondendum est.

Ad primum: jam dudum respondit *Cangius lib. de Familiis Dalmaticis & Slavonicis cap.* 3. Quia Scriptores Græci ac Byzantini peregrina nomina Slavorum & Dalmatarum non ita, ut sonabant in se, expresserunt. Quandoque etiam unus quispiam Regum duplici nomine donabatur, quorum unum nomen Diocleates, aliud facilius, Græci annotarunt. Contigit etiam, quod cum Toparchiæ, aliæ fuerint Dalmatiæ Maritimæ, aliæ Dalmatiæ Continentis, apparens tantum error fuerat, quod unus Maritimorum Principum, alter in Continente regnantium, nomina assumpserit. Hæc *Cangius* eximius Scriptor, & tam de Byzantinis, quam de Slavis optime meritus, utpote tam Græcarum, quam Slavicarum Familiarum diligentissimus Illustrator. Interea authoritati Diocleatis nil detrahendum, qui meruit, ut a *Marco Marulo* in Latinum verteretur; dignus, quem *Maurus Orbinus* Ragusinus Abbas Meletensis in *Opere Regnum Slavorum*; *Jacobus & Petrus Luccarius*, *in Annalibus Ragusin:* sequerentur. *Joannes Lucius notis illustraret*, ceteri plerique transcriberent. Et ipse *Farlatus* rigorosus Criticus fateri cogitur, nullum extare tam ex Slavis, quam ex Græcis, qui Principes & Gesta sæculi VI. accuratius Diocleate annotaret, modo legitima accedat censura.

10 Frustra autem ad Byzantinos Scriptores *Agathiam* scilicet & *Porphyrogenitum* provocamur. Licet namque illi accurati fuissent in conscribendis bellis, (quæ quandoque *Diocleates* nec commemorat) minus tamen attendisse credendum, ad Genealogias, nomina, successiones Principum, quæ nonnisi occasionaliter commemorantur. Cum

non hic illorum finis fuiſſet; ſed, referre ea, quæ Imperatores egerunt contra Gothos, Hunnos, Bulgaros, ceteraſque Gentes Slavicas. Unde præſentibus attendebant, præterita minus curando, nec illorum examen inſtituendo, ut patet in Porphyrogenito, qui Patrem *Porgæ* ignorans, illum non inquiſivit. Hinc recte Criticus inferet *Agathiam* &c. Græcos, hiſtoriam melius Diocleate texuiſſe, quia ſuo tempore Byzantii melius de his informari potuerunt. Diocleatem tamen Genealogias Principum Dalmatarum, Croatarum &c. accuratius collegiſſe, qui hunc finem ſibi præfixit, & ea ex Monumentis, quæ forte nunc minime extant, manu ſcriptis, traditione, (quam longum tempus intercidit) in ſua, eademque cum principibus Patria, accuratius colligere poterat. Quorum inquiſitio Byzantinis nec in mentem forte venit.

11 Secunda objectio facile ſolvitur ex immediate dictis, non enim eouſque procedimus, ut Diocleatem, ſicut in Genealogiis, ita in Chronologia (præcipue quando tractat de Pontificibus, Imperatoribus, Regibusque extraneis, quos occaſionaliter tantum adducit) nil prorſus erraſſe dicamus: ſcimus, multa bella intermiſiſſe, quæ Porphyrogenitus deſcripſit. Sed prudentis eſt, bona ſeligere, dubia illuſtrare, errata emendare. Nobis, hæc narata, vera vel dubia eſſe, perinde eſt; modo Genealogia Principum ſalva ſubſiſtat, pro cujus eruderatione non *Diocleates* ſolus, ſed alii quoque laborarunt. Præcipue vero *Jacobus Luccari*, qui (teſte *Anſelmo Bandurio* in notis ad Porphyrogenitum) ſolo Diocleate non contentus 154. Authoribus ad conſcribendos Annales Raguſinos, & texendam Genealogiam Principum, uſus fuiſſe, ſcribitur.

12 *Ad tertium*: facili negotio reſpondetur. *Lechum* & *Czechum* Paterno Genere Gothos fuiſſe; verum Matrem Slavico Genere ortam habuiſſe, aliam ſcilicet ab illa, ex qua *Selimirus* natus eſt, ut vult *Jac. Lucari Annal. Ragus. lib.* 1.

&

& ex illo Farlatus in Illyrico ſacro Tom. 2. Pag. 181. Mater igitur *Lechi* Slava genere ex Illyrico fuerat *Bigleniza*, ſive *mulier candida* ſlavice dicta. Soror *Sabbatii* ſive *Iſtok* vel *Iſtotnik*. Unde Lechus, tam *Juſtino* I., quam *Juſtiniano* I. Imperatoribus ſanguine junctus fuerat ex Materna linea, qui Slavi, vel Illyrii fuerant, licet ex Patre ad aliud forte genus pertinerent; Sed de his, videatur *Nicolaus Alemannus ad Hiſtoriam Arcanam Procopii lib.* 9. *P* 36. *&* 57. Verum tamen neque ſic rigoroſe Genus Gothicum, a Slavico diſtinguere tenemur, cum omnes fere conſentiant Slavos in diverſas propagines multiplicatos, licet aliter, & aliter nominarentur: *Hunni*, *Gothi*, *Gethæ*, *Gepædes*, *Vinidi*, *&c.*; ſemper tamen origine Slavos fuiſſe. Sicut nunc, nemo prudenter diceret, *Poznanienſes*, *Cracovienſes*, *Leopolienſes*, *Kijovienſes &c.* propter diverſa cognomina non omnes eſſe Polonos. Quod ſuperius *hac Parte* 1. *Sectione* 1. *& in Sarmatia Europæa fere per totum a me probatum eſt.*

Quamvis etiam una propago Oſtroili, non Slavi, ſed Gothi diceretur, produnt tamen illos Slavos eſſe, ipſa nomina perſonalia, quæ non peregrina, ſed Slavica, ſunt. Nam *Sfioladus* ſeu *Swewlad* ſignificat Dominum & Poſſeſſorem propriorum. *Oſtroyllus*, ſeu *Oſtrywoy* vel *Oſtroboy*, ſignificat *Caſtri* (ſuppone *Wendigrad*) *Dominum*, aut per *B.* legendo, *Ducem acrem in Prælio. Wjewlad*: *omnium Provinciarum ſupremum Dominum. Selymir*: *Populos pacifice regentem. Iſtok*, *Indigenam*, aut *veridicum. Biglenica*, ſive *Bielenica*: *mulier.m candidam* &c.

13 Ex quibus patet Lechum Slavum fuiſſe: ſive ex Croatis, ſive ex Dalmatis, ſive ex Gothis, vel Gepædibus ortum duxiſſe probetur. Omnes namque Gentes nominibus diſtinctæ, ſpecifice tantum differebant, in genere vero conveniebant, dum velut propagines ad ſtipitem, ſcilicet ad Slavicum genus, referrentur. Quantumvis hac voce non exprimerentur, ſed intimior ac proximior differentia aſſu-

meretur, ut Hiſtoria accuratius coordinari poſſet; ſat tamen ſuperque conſtat, omnes has Gentes ſanguine junctas fuiſſe & inter ſe connubia miſcuiſſe, in bellis unam ab altera adjutam fuiſſe, Regimen, ſacra, mores ſimiles habuiſſe, & nunquam inter ſe diſſenſiſſe, niſi odium, vel *meum* ac *tuum* interceſſerit, quæ germanos quoque Fratres conturbare, & ad arma provocare ſolent.

14 Quia vero in familia Lechi, vel potius, Juſtiniani I. connexa cum Lecho, aliquot reperiuntur *Vigilantiæ*, operæ pretium eſt, inveſtigare, quid nam, hoc nomen ſignificet? tot diverſis Perſonis impoſitum.

Sciendum igitur, apud Romanos (quales etiam fuerant Imperatores Orientis) Filias, nomina propria non habuiſſe, verum ſola prioritate originis, & nativitatis diſtinctas fuiſſe, ita ut tantum appellarentur: *Prima*, *ſecunda*, *tertia* &c. vel, ſi duæ ſolum fuerunt, una earum *Major*, altera *Minor* appellaretur. *Quintilianus lib.* 1., *Inſtit. Orat. cap.* 7. Quandoque tamen inter nobiliores Familias, Filiabus, nomen Patris, vel Matris addebatur. Unde plures leguntur *Cajæ*, *Tulliæ*, vel diminutive *Tulliolæ*, ut notat *Achilles Tutius lib.* 5. & *Euſtach. lib.* 9. Nupturæ nomen proprium, a Parentibus, vel a Marito addebatur. Hoc tamen non erat perenne. Si namque maritus ad altiorem dignitatem evehebatur, uxori nomen priſtinum mutabat, ſic Juſtini I. uxor *Lupicina*, mariro ad imperium evecto *Euphemia* dicta eſt, teſte *Evagrio lib.* 2. Cujus mutationis plura exempla, videri poſſunt, apud *Carol. du Freſne in Familiis Byzant.* Succeſſu temporis creſcente odio Græcorum contra Latinos, ſi quæ fæmina ex Ritu Latino, Græco Magnati nubebat, prævia quadam cærimonia rebaptizationis, nomen uxori mutabatur, quod illis exprobrat *Anshelmus Ep. Havelbergen. Dial.* 3. *Cap.* 21.

Idem ſervatum eſt apud Slavos, poſtquam Romanis miſceri, ac convivere cæperunt, Filias namque ſuas, innominatas uſque ad matrimonium alebant: *Biglenizas* com-

muniter

muniter appellando. Quod nomen, nil aliud ſignificabat, niſi *Filiam innuptam*. Quemadmodum enim nunc fæminæ omnes populariter dicuntur *Biatogłowy*: ita præcedenti tempore *Bietki*, vel *Bielenice* appellabantur. Poſtea Virgines, ab aliis fæminis diſtingui cæperunt & innuptæ *Diwa*, *Dziewoja*, *Dziewka* dici ſolebant, ſicut illas notat *Barthol. Paprocki in Nido Virt.* ſcribendo nude *Dziewka Krola N.* quibusdam addendo ſolum nomen in Baptiſmo additum v g. *Barbara Dziewka Wodze Oswiecim kiego.* ſci. *Barbara Filia Ducis Oswicimenſis.* Igitur apud Græcos *Biglenitza* corrupte ſcriptum, idem ſignificabat, quod apud Slavos *Bielenica*, & utrumque Filiam innuptam denotabat. Hanc vocem interpretes Latini *Vigilantiam* expoſuerunt: Sicque nomen *Bielenica* in tertium idioma translatum, ſemper magis, ac magis corrumpebatur, ita ut nec materialiter idem eſſe videretur. Græci quidem parum immutarunt Slavicam vocem, addito ſolo γ, & loco c. (quo carent) ſubſtita τζ pneumatica, ut imitari poſſent, ſibilum quem edere ſolent Slavi in enuntiando litera c. Solent quidem Græci loco c. ponere Græcum κ, ſed advertentes κ alium ſonum edituram, ita ut loco *Bielenica*, enuntiareretur *Bielenika* ideo poſuerunt non κ ſed τζ, ut conſonet, *Bielenica*.

Latini vero longius receſſerunt a principali ſignificato. Ignari namque Slavici idiomatis, & quod *Bielenica*, denotet *Filiam*, *Virginem*, *caſtam*, *candidam*, non transtulerunt, ut debebant genuine in latinum. *Albinam* dicendo, ſed *Vigilantiam*. Scientes namque ϐ græcum legi quandoque ut v. aliquando ut b., ſtatim in principio vocis errarunt: non b. ſed V., latinum ſcribendo. Erroris occaſio fuerat, (ut ſuppono) hæc. Quia namque βίγλα, apud Græcos *Vigiliam*, ſive *Vigilias* ſignificat, conferendo unum idioma cum alio, ex *Bielenica*, *Vigilantiam* reddiderunt, ethymologia toto Cælo differente: cum periculo, ne ex Regum & Principum Filiabus, *Biglæ Drungariorum* ſc. *Præfectorum Vigiliarum* faciant Filias.

Biele-

Bielenica igitur, sive (hellenisando) *Biglenitza*, vox, nil aliud significabat, nisi: *Filia innupta*; vel: *Virgo casta*, aut *candida*. His adultis vel maritatis addi solebat nomen proprium: *Theodoræ, Adelphidis &c.* Vel si Slavo Slava nubebat, nomen Slavicum imponebatur v. g. *Debrowka Bronislawa* &c. In Familia igitur Lechi, aliquot *Bielenicæ* occurrentes, pro Filiabus sumendæ sunt, *v. g.* Justiniani *Biglenitza I. Biglenitza II.* idem significabat, ac si diceretur *Justiniani Filia Primogenita. Filia secundo genita &c.* Hinc non mirum si in coordinandis Genealogiis Slavorum quandoque occurrant æquivocationes, & contradictiones: non solum, quod aliquando Fæminæ binomines fuerint, sed, quod plures *Bielenitze* occurrerent, quod nomen alii, ut proprium, alii ut appellativum, sumebant.

SECTIO VI.

Quod Lechus extiterit: ex Testimonio præstantissimorum Historicorum, probatur.

1. Lechum, primum Principem fuisse in Polonia, communis est opinio: Et omnes Historici, atque Chronologi conveniunt; quorum magnum Elenchum collegit *Celsissimus Princeps Jablonovius Dissert. de Lecho.* Si autem tot testibus contradicere licitum esset, nulla amplius veterum narrationum certitudo haberi poterit.

2. Generali autem titulo omnes Historicos hic comprehendo (ut quid enim repetere illa, quæ cuique obvia sunt?) Pro defensione tantum eorum, & manutenenda integritate Historiæ, id adjiciendum puto, quod nulla ullius Gentis Scriptorum authoritas major haberi possit, quam apud Polonos, qui fidei integritate, ingenio, scientia, diligentia, perspicacia, aliisque requisitis muniti, ad rite exequendum officium suum, ceteris præcelluerunt.

Et ut rem paucis complectar, ac defensorem non interessa-

tereſſatum noſtrorum Hiſtoricorum agam, ab aliis Gentibus politioribus, apud quas magis ſcientias floruiſſe novimus, regulam ſumendam eſſe judico, quam conſenſu omnium, ſuis Hiſtoriographis Gentes nobiliores præſcripſerunt. Quod ſi his dotibus noſtros quoque Hiſtoricos dotatos fuiſſe probavero: relinquo aliis inferendam conſequentiam; non aliam tamen ſpero, niſi: Si extraneis ob dotes eminentes, & ſcientiam ſufficientem, indubitata datur fides, etiam paribus talentis ornatis Polonis Hiſtoricis, eadem minime neganda eſt.

3. Apud Babylonios Chaldæis commiſſum munus ſcribendi Hiſtoriam, qui fuerunt *antiquiſſimum e doctis Genus*, teſte *Cicerone lib.* 1. *de Divinat.* Apud Perſas & Ægyptios Sacerdotum erat Officium Acta conſcribere, ut toties meminit *Herodotus.* Apud Romanos, Annales ſcribendi, poteſtas erat juxta ſummos Pontifices *Cicero de Orat. lib.* 2. *Macrobius lib.* 3. *Saturn. cap.* 3. Bataviæ res antiquiſſimas, ſcripſerunt Canonici Eccleſiæ Ultrajectanæ ac Monachi Egmondenſes. In Anglia annotatio rerum geſtarum commiſſa Monaſteriis. *Scotus Chron lib.* 16. *Cap.* 39. In primitiva Eccleſia Catholica, ne in Hiſtoriam irrepant errores, primo *Damaſus* Papa, poſtea *Fabianus*, Ille Notarios, hic Subdiaconos ſeptem totidem Regionibus Urbis præfecit, ut acta Martyrum notarent. Porro, ubicunque recte ordinata fuerat Hiſtoria, nullus huic muneri ſe ingeſſit, niſi, vel patritio Genere natus, vel literis bene inſtructus, doctrina ac rerum notitia præditus, fuerit. Hocque ideo, quod tales viri, ſi non per omnia infallibiles eſſent, ſaltim crederentur nec falli poſſe, nec fallere velle.

4. Primus Polonæ Hiſtoriæ ſcriptor recenter Typo datus fuerat *Martinus Gallus Monachus*, Profeſſor Boleslai Krywouſty: Scripſit Hiſtoriam initio ſæculi XI. Deinde *Vincentius Kadlubko Epiſc. Crac. Boguchwalus Epiſc.* *Poznanienſis. Basko Cuſtos Poznanienſis. Michael Sandivogius Caſtellanus*

Kalicienſis. Omnes Scriptores ſæculi XII. & XIII. qui vel Lechi, vel Lechitarum meminerunt. Sequitur *Dlugoſſus ſeu Longinus Canonicus Crac.* expetitus pro Archi Epiſcopatu Pragenſi, nominatus Archi Epiſc. Leopol. doctiſſimus Regiæ Prolis Caſimiri M. Regis Poloniarum Magiſter, pluribus Legationibus publicis Characteriſatus, Vir pietate, prudentia, omniumque virtutum Genere diſtinctiſſimus. Huic ſucceſſerunt *Bernardus Wapovius Canonicus Cracov. Mathias de Miechovia Canonicus Craco. Cromerus Epiſcopus Warmienſis:* Cujus ſententiam ſequuntur *Dubravius*, *Aſſemanus*, & multi exteri. Quem de Serbia bene ſcripſiſſe laudat *Bandurius in Notis ad Porphyrog. Pag.* 92. Quid ni de rebus Poloniæ? His *adjunge Herburtum*, *Starowolſcium*, *Bietſcium Orichovium*, *Gvagninum*, *Strykovium*, *Lubienſium* & plurimos alios. Viri hi ſinguli teſtes ſunt omni exceptione majores. Quos non ſolum Nobilitas, & Stemmatis Dignitas, ſed ſcientia, & virtutum, ac probitatis comes honor, diſtinxit. Si hos Antilechitis comparemus vincent facillime, numero, & ingenio. His adjunge exteros *Cangium de Familiis Dalmaticis & Diocleatem*, *Marulum in Regno Slavorum*; *Jacobum & Petrum Luccari in Annalibus Raguſinis. Joannem Lucium in notis ad Diocleatem* & magnum elenchum aliorum qui, & Lechi, & Lechitarum antiquitatem, vel tanquam indubitatam adducunt, vel defendunt.

Tanti viri & tam bene de ſcientiis meriti, forte Scommatibus, & jocis magaricis Antilechitarum excipientur? quod nimia credulitate decepti, ea Hiſtoriæ inſeruerunt, quæ, minus periti illorum Anteceſſores, non examinarunt. Illi vero fabulas veritati admixtas, tanquam merces depravatas, minus peritis expoſuerunt? abſit!

5. Sequendo autem regulam Criſis *a Polybio lib.* 12. *Excerpt.* propoſitam, examinemus motiva quæ Hiſtoricos in mendacium trahunt. Duo Ipſe aſſignat: vel ignorantiam,

vel

vel propoſitum mentiendi. Utrumque autem a noſtris Hiſtoricis procul abeſſe facillime oſtendi poteſt.

Ignorantia quidem non poteſt objici illis, qui ex propoſito veritatem, omni conatu inveſtigabant. Quam emuncti naris fuerint, quam diligenter ſententias diſtinxerint, teſtantur luculenter ſcripta illorum. Vis argumentorum, ſubtilitas judicii in combinatione diverſarum opinionum, quanti Viri fuerint, oſtendit. Non ignoti illis fuerant Authores Græci, *Procopuis*, *Agathias*, *Porphyrogenitus* &c. noverunt *Wipponem*, *Witichindum*, *Saxonem*, *Blondum* &c. quos vel conciliarunt, vel confirmarunt, vel confutarunt, & nihil intermiſerunt, quod ad abſolutos Criticos pertinebat. Multo minus illis opponi poteſt propoſitum mentiendi: Candor enim & ſinceritas in ſcribendo, produnt illorum animum, nil affectate, nil minori cura, quam par ſit, annotaſſe. Quod licet in omnibus clare videri poteſt, maxime tamen in annotandis ſucceſſoribus Lechi manifeſtiſſimum eſt. Tanta namque facilitate filios, Nepotes, Abnepotesque Lechi fingere potuiſſent, quanta ipſum Lechum, ut Hiſtoriam ſuam adornarent. Cum tamen indubitata de illis non inveniſſent, maluerunt Hiſtoriam mancam relinquere, quam incertam.

6. Si hæc ad juſtificationem noſtrorum Hiſtoricorum minime ſufficiunt, oſtendant boni Antilechitæ: Quis primus, vel quando Lechum finxit? Oſtendant motivum, quod Scriptores plurimos (eosque honeſti amantes) in tam enorme vitium impulit? Cur non alius quispiam Rex ex Alanis, Wandalis, Gothis, Cimmeriis, ſeu Cimbris, Longobardis, & univerſaliter ex tota Scytho-Sarmato-Slavica Gente pro Conditore Gentis aſſumptus? in qua plurimos viros clariſſimos fuiſſe notum eſt, etiam trivio. Certe, ſi fingere, & Orbem eludere, mens fuiſſet, ſtatuiſſent cum Chinenſibus longam ſeriem Regum, Orbis Creationem excedentium, aut cum Ægyptiis Cathalogum Hæ-

roum, & Semideorum, proposuissent. Candor tamen ne minimum quidem voluntarium admisit errorem. Et ubi deerant indubitata testimonia, ex antiquis monumentis, & constanti traditione deprompta, satius duxerunt modeste tacere, quam cincindulas, pro candelis vendere.

7. Forte ut Gentis antiquitas commendetur, Lechus productus est? Falleretur plurimum id asserens, & se in Historia minus exercitatum ostenderet. Quis enim ignorat victorias Scytharum Europæorum in Asia, & viginti octo annos possessionem illius *teste Herodoto lib.* 1. *cap.* 103. *&* 105. *Item lib.* 4. *cap.* 12. Quis nescit ignonimiosam deturbationem, ex hac, quam incolimus, Patria, Darii? ut refert idem *Herodotus lib.* 4. *C.* 123. *sequ.* Quem latent felices cum Sopirione Alexandri Duce conflictus, & plures Victoriæ, de quibus *Justinus lib.* 2. *cap.* 3. etiam ad Polonos spectare? Ut taceam, tot gloriose gesta, a Sarmatis & Slavis contra Romanos, & Græcos. Omnia hæc, Polonis quoque debentur, tanquam membro Gentis Slavicæ, cum illa, nondum in Regna, & Ducatus, distingueretur. Nonne hæc antiquiora, imo gloriosiora sunt iis, quæ Lechus gessit? ut quid ergo his dimissis minora substituerentur? Non esset hoc, gloriam vel antiquitatem augere, sed minuere.

Ex his igitur infertur Historicos nostros nullo titulo, aut motivo inductos fuisse, ut Lechum fictum, pro vero Principe substituant, quibus nil defuit, ut vera narrent. Imo honestas innata, sufficiens scientia, notitia antiquorum Historicorum, diligens examen narratorum obfuit, ut voluntarie mentiantur.

SE-

SECTIO VII.

Traditio antiqua, ſuffulta Recentiorũm Authoritate, ſufficit ad probandum Lechum I. in Polonia regnaſſe.

1. Cum Gentes omnes a ſua origine, non ſtatim ad eam perfectionem aſcenderint, ut eorum acta fideliter annotari poſſent, ipſa natura ſuggeſſit modum, ne res æternitate dignæ, cum præjudicio ſucceſſorum, perirent. Defectum igitur literarum ſupplevit ſemper fidelis memoria viventium ad poſteros transmiſſa, quæ conſenſu omnium, tantæ authoritatis ſemper eſt habita, ut ubi deficerent Literæ, vel monumenta, ſuppleret perpetua traditio, & popularis conſenſus, rem ita defacto contigiſſe. Imo nonnullas partes ſacræ Scripturæ in dubium vocari poſſe novimus, niſi traditionibus fulcirentur. E contra vero, traditiones firmas, ſtabilesque eſſe ſcimus, quantumvis deficerent Scripturæ. Unde *Cicero lib.* 1., *de Legibus*, etiam ipſas Leges traditas, præfert ſcriptis.

2. Si autem negabitur authoritas traditionibus: Negabo ego quoque, *Ilium* ſive *Trojam* extitiſſe. Et famoſam Epocham ab illius excidio, uſque ad Olympiadas fabulis annumerabo, cum ex pura traditione orali illius ſitus, oppugnatio, excidium, conſtet. *Homerus* ipſe qui excidium illud deſcripſit, & minus uno ſæculo illi ſucceſſit, Hiſtoriam, non ex Scripturis, ſed ex traditione accepit. Imo Homeri Iliadem negabo opus iſtius Authoris, cum eam non ſcripſerit, ſed recitaverit, teſte *Joſepho con. Appion. lib.* 3. *cap.* 8. Veteres Ægyptii nil prorſus in monumenta referebant, Gentis tamen ſuæ Hiſtoriam certam, ſucceſſiones Regum, bella, & e fideli memoria, quaſi de promptuario tradebant, ut refert *Plato in Phædro*, *ac in Timæo.* Apud Gallos, *Druidæ* Bellorum eventus, leges, & præcedentium

annorum seriem versibus complexi, non literis, sed memoriæ committebant. *Cæsar de Bel. Gal. lib. 6. cap. 14.*

3. Americæ populi, Annales, Leges, Cæremonias, Calendaria & cetera hujusmodi per *Quippos* quidem, & nodulos distinguebant, excitandæ memoriæ gratia, quod totum ex doctrina orali, pueri in scholis a suis *Quippocamaiis* discere solebant. *Acosta Moral. Hist. Ind. Occid. lib. 6. cap. 8. Bernard. Picard. operum suorum Tom. 1. Par. 1. cap. 9.* Idem fecisse Thraces, Gothos, cæterasque Gentes Slavicas, certum est; omne præsidium & Fidem rerum gestarum, ex veterum memoria, & consensu plebis, traducendo ad Posteros.

4. Nescio quomodo exciderit *Cromero de Orig. & Rep. Polon. lib. 1. cap. 3.* dum dicit antiquos Polonos, non solum scripturam, sed traditionem, neglexisse. Id etenim, si bellis occupati neglexerant, illi tamen qui domi manebant, prohiberi non poterant, quin gloriose gesta & res posterorum utilitati servituras, firma tenerent memoria; E castris etiam redeuntes narrasse gesta ad tædas suæ maritæ, probabile est. Sed & contrarium opinioni *Cromeri* potest expresse probari. Nam inter Scythas, traditionum meminit, tum de ortu suo, tum de expeditione Darii *Herodotus lib. 4. cap. 8. 5. 9. 10.* Rudes erant *Jazyges* & cum jam Polonia floreret, Ipsi licet confines, nil, præter arma, & barbariem sciebant. Traditiones tamen & Acta Hæroum in cantilenis fideliter retinebant, quibus excitati, nec passu uno, e prælio recedebant, & diu invicti triumphabant. Teste *Dlugosso Hist. Pol. lib. 7.*

5. Sed & nostri Kozacy, literarum ignari, rebellionum suarum memoriam, & Optionum strenuitatem in Næniis, (quas *Dumy* vocant) ita summatim comprehendunt, ac circumstantias præliorum (jam ab elapso uno sæculo) distincte ponunt, ut horum plurima in accuratis, etiam Historicis, frustra quærerentur. Ne tamen illis utantur, &

ad rebellionem animentur, tum Ecclesiastica, tum sæcularis potestas, vetat; licet ex memoria plane excutere non possit. Si igitur ab antiqno, usque in nunc, inter Slavos traditio viget, recte infertur, & antiquos, & Recentiores Historicos, ex monumentis, & traditione, relationem de Lecho certam habuisse.

6. Quamvis igitur nulla memoria Lechi in scriptis inveniretur, tutissime recurrere possemus, ad traditionem in memoria hominum residentem, quæ pertinentia ad Gentis Originem, gloriam, vel posterorum instructionem, nullatenus interire sinit. Quanto vero magis fidem meretur Historia? dum authoritas scripta, confirmatur perenni traditione non solum inter Polonos, sed apud Exteros quoque, non interrupta.

7. Hanc regulam Historicis omnibus dedit, illaque usus est Princeps Latinorum Historicorum *Livius lib. 6.* Hanc tanquam certam normam veritatis in inquirendis originibus Rerum Polonicarum proponit *Gerardus Vossius de Arte Historica cap. 9.* dicens: *ubique de Patria quædam per manus Incolæ a Majoribus acceperunt, quæ & posteris suis ipsi tradiderunt; horum qui antiquitates scribere velit, haud aliter ea referre possit, quam ab incolis ipsis acceperit.* Historicorum igitur nostrorum unanimis consensus, infundatus traditioni, cui nemo contradixit, firmum est argumentum Lechum I. in Polonia regnasse, & primævum nomen *Lechitarum*, vel *Lachorum* Polonis imposuisse. Quod ulterius probabitur infra *Sectione* 10.

Si autem dicatur hanc traditionem nulli fundamento inniti; quod præter vulgi testimonium, nulla ratione dicta fulciantur? Respondebo: hoc argumento probari tantum; Liberum esse cuique, etiam certissima negare, & privatam opinionem, omnium judicio præferre. Verum qui veritatem inquirere conatur, non solam negationem opponere tenetur, sed ulterius procedere. Scilicet: aut probando

Le-

Lechum, non hic, ſed alibi regnaſſe; aut, quod alius eo tempore hic regnaverit: vel, quod volentem regnare impediverit &c. Hæc etenim quamvis non concluderent demonſtrative, defacto Lechum non extitiſſe, ſaltim ſubminiſtrarent dubitandi occaſionem. *Vide etiam plura infra Par. 2. Sect. 2. per totum præcipue No. 8.*

SECTIO VIII.

Unde Lechus in has Oras venerat?

1. Licet ex prædictis ſufficienter colligi poſſit ex qua Regione Lechus venerit in oras Poloniæ, non inutile tamen erit, ſententias aliorum adducere, & diſſentientes Authores conciliare, ut res in plano conſiſtat, dicta confirmentur, nec ulteriori dubitationi ſuperſit locus.

2. *Diligentiſſimus Cromerus lib.* 1. *de Orig. & Geſtis Polon. cap.* 16. refutatis aliorum ſententiis de adventu Lechi, opinatur Eum inter Slavos natum fuiſſe. Sed inter quos? non determinat: cunctanter tamen, magis in Croatiam, quam in aliam Regionem inclinat. Slavos autem illos, qui circa Viſtulam & Albim habitabant: populari regimine exoſo (quale inter illos viguiſſe affirmat *Procopius*) Principes acciviſſe, aut advenientes acceptaſſe. Czechi Regimini, Populus circa & ultra Albim: Lechi Imperio populus inter Viſtulam & Oderam habitans, ſe ſubjecit. Et veriſimile eſt, ſub tali Regimine ante Lechum vixiſſe hunc populum, quod ipſe Genius Gentis Polonæ clare demonſtrat. Deficiente namque ſtirpe Regia, ad priſtinum ſtatum Ariſtocraticum, vel Democraticum redibant toties, Palatinos, Rectores ſibi eligendo; donec creſcente experientia ac meliori judicio, probaſſent, melius eſſe, parere uni, quam multis.

3. Alii intimius ſcrutantes Provincias Slavorum, inter diffuſas Gentes per Europam & Aſiam minorem, inquirebant

bant natale ſolum Lechi. Et quoniam præcipuam ſedem Slavorum, noverunt eſſe ad Pontum Euxinum: inde directe Lechum veniſſe putant. Et quidem *Blondus lib.* 1. *Hiſt. Dec.* 1. a Bosphoro veniſſe dicit, & loca Wandalorum ac Burgundionum occupaſſe. Horum pars ſub *Mauritio* in Dalmatiam perrexit: Domi vero manentes, ſe Polonos & Bohemos nominarunt. Sequitur Blondum *Cromerus lib.* 1. *C.* 16. dicens: hanc ſententiam probabiliorem eſſe, ex eo, quod a Boſphoro Cimmerio verſus Viſtulam ſecurior erat tranſitus per Slavicas Provincias, nullo Imperatorum exercitu defenſas, quam per Thraciam, Dalmatiam &c. ubi tot Duces Romanorum cum exercitu morabantur. Hi quidem conveniunt, quod Lechus non venerit in Poloniam tempore Juſtiniani, ſed tantum Slavi, ſub ignoto Duce irruperunt in interiora Europæ; Et juncti aliis antiquis ſupra rippas Viſtulæ manentibus, Lechum tandem, vel advenientem aliunde, acceptarunt: vel inter Senatum, in Ducem elegerunt. Unde tamen venerit immediate non determinant: nec irruptionis in Thraciam Juſtiniani tempore meminerunt: Sed poſterioris tantum ſub *Mauritio* Imperatore, non jam a Boſphoro Cimmerio, ſed ex his Oris, ubi nunc Polonia. Hoc autem differt prorſus a relatione *Procopii*, qui Slavos a Septemtrione venientes, primo in Thraciam irrupiſſe, refert.

4. Ab hac ſententia non multum recedit *Sabellicus Ænnead.* 8. *lib.* 2. Hic Slavos pariter a BoſphoroCimmerio proceſſiſſe dicit bifariam ſciſſos. Ex quibus, alii Septemtrionem verſus proceſſerunt, qui Poloniam, & Bohemiam occuparunt. Alii vero transmiſſo Iſtro ſupra *Savum* in Dalmatiam penetrarunt. *Bernard. Wapovius lib.* 1. *&* 8. *Hiſt.* utramque ſententiam *Blondi* ſcilicet & *Sabellici* acceptat: aliter tamen conciliare tentat. Dicit namque: Slavos a Boſphoro, ex ea parte ubi Ruſſia eſt, in Thraciam, Illyricum, & Macedoniam irrupiſſe: Sedes tamen ſub *Mauritio* & *Phoca*,

 fixiſſe.

fixiſſe. Alios vero Slavos prius ante Juſtinianum in has Oras Poloniæ commigraſſe, circa Attilæ expeditionem, eo tempore, quando Wandali ſedibus antiquis dimiſſis in Gallias & Hiſpanias commigrarunt, illorum vacua loca occupaſſe. Idem ſentire videtur *Mathias a Miechow. in Sarmat. lib.* 1. *cap.* 13. Attamen Lechum & Czechum ad iſtos Slavos veniſſe, & non inter illos natos fuiſſe, affirmat.

5. Omnes iſti & quotquot alii ab his deſcripſerunt, videntur alii plus, alii minus attendiſſe relationi Procopii. Qui Slavorum irruptionem deſcribens, illos a Septemtrione veniſſe ſub Juſtiniano Imperatore, ac transmiſſo Iſtro, in Thraciam primum, deinde in Illyricum, Dalmatiam, & alias Regiones, irrupiſſe, refert. *Lib.* 3. *de Bel. Gothico.* Hac enim relatione velut digito monſtrare videtur ſedem primitivam Slavorum, ad Boryſthenem, quæ Regio reſpectu Conſtantinopolis (ubi Procopius hiſtoriam ſcripſit) eſt maxime Septemtrionalis, ibique Slavos habitaſſe, una cum Roxolanis, clariſſime probat *Porphyrogenitus de Adminiſt. Imper. P.* 2. *C.* 9. & quidem eo loci, ubi nunc eſt *Zaboroze.* Nam loca, vada, & prærupta *Boryſthenis* deſcribit, nominibus propriis Slavicis, & Roxolanis, appellata.

6. Verum tamen hoc animadvertendum erat, *Procopium*, *Agathiam* &c. Hiſtoriam Imperii Romani ſcribentes, optime quidem locum Slavorum unde proruperant deſcripſiſſe. Qui tamen nunquam aſſerere auſi ſunt: hoc loci tantum Slavos manſiſſe, & non alibi. Cum etenim, tantum ſe diffuderit Slavica Gens, quantum Sarmatæ, & ante illos Scythæ, non ad Boryſthenem tantum manſiſſe, ſed alibi quoque, certum eſt. Licet hic locus & pars Slavoniæ, magis reſpiceretur ab Authoribus, quod nullo reſpectu habito, ad alias Provincias, illa tantum notaretur, unde immediate in ditiones Romanorum Slavi effundebantur.

7. Nam *Jornandes cap.* 5. ſuo tempore Slavinos ad ſiniſtrum latus Sarmaticorum montium, & ad fontes Viſtulæ habi-

habitaſſe affirmat. Et *Crantzius* Slavos a Conſtantino M. in Pannonia ſedes impetraſſe dicit. Licet autem hæc Wandalis ſatius, quam Slavis conveniant, juxta *Jornandem cap.* 22. quod confirmari poteſt ex *D. Gregorio M.* & *Procopio*, lis tamen erit tantum de Nomine. *Wandali* namque ſe *Slavos dixere*, ex quibus alii emigrarunt, alii manentes, ſe poſtea Polonos & Bohemos dixerunt, inquit *Blondus Forolivienſis lib.* 1. *Decad.* 1. *Hiſt.* quod repetit *lib.* 8. Quæ omnia ad ſæculum IV. pertinent. *Porphyrogenitus cap.* 30. ſuo tempore Chrobatas ab antiquo inhabitaſſe *Bagibariam* dicit. *Bagibaria* vero eſt pars montium Carpathicorum, qui nunc Poloniam ab Hungaria diſterminant dicti Βαβεία ὄρεια *Babii Montes* vel *Babie Gory*, ſive *vetuli Montes* ut exponit *Bandurius in notis ad Porphyrog.* Ex quibus omnibus inferendum: Slavos non ſolum ad Boryſthenem ſed in aliis partibus Europæ habitaſſe. Verum antiquiora quoque reſpiciamus tempora, inveniemus, *Illyrios* (quos nemo non Sarmatico-Slavicam Gentem dixit) ampliſſime diffuſos, ab extremis Alpium, inter *Arſium* & *Titium* flumen habitaſſe, & totum littus Adriatici occupaſſe (*Liburni* tunc dicebantur) cum Romanis frequenter conflixiſſe; victos tandem, regnante apud ipſos *Teutana* muliere, ut ſcribit *Florus lib.* 2. *cap.* 3. & in *Livii Epitome cap.* 20. *Eutropius lib.* 3. *cap.* 1. Quod contigiſſe anno ante Chriſtum 227. Urbis cond. an. 533. ut colligitur ex Computu *Chronolog. Joannis Min-Elii ad Florum* Iſtriorum, Thracumque bella, ante Mythridatem adhuc incepta toto fere *lib.* 3*tio* deſcribit *Florus. Aſinius Pollio* Dalmatas, ante Chriſtum annis 36. Pannonios an. ante Chriſtum ab Octavio 33. Illyrios an. 33 Myſios a *M. Craſſo* an. 27. Dalmatas & Pannonios a *Tibero* an. 7. ante Chriſtum victos fuiſſe teſtatur *Florus lib.* 3. *cap.* 12. & *lib.* 4. *cap.* 12. Hi autem populi omnes ſub nomine generali Scytharum comprehendebantur: poſterius Slavi dicti. Porro ne jam dicta repetere cogar, provoco ad illa quæ dixeram *in Sar-*

matia Europæa cap. 22. *&* 3. *per totum &c.* Ubi Gentes Scytho-Sarmato-Slavicas omnia loca, usque versus Rhenum possedisse probavi. Sane igitur intelligendi sunt *Procopius* & ceteri, de Slavis scribentes. Illos non totam Gentem designasse, sed partem interessatam, & Historiæ illi Servientem. Alii autem Slavi quoniam minus ad propositum serviebant, non a genere Slavico, sed ab influentia in historiam, exclusi sunt. Quemadmodum si nunc quoque quispiam diceret: Cracovienses, implicitos esse bello; aut Florentinos subjectos esse Cæsari: non recte concluderetur. Posnanienses, Lublinenses &c. non esse Polonos: Aut Bononienses, Cremonenses non esse Italos. Quod enim ab authoribus dicitur de una parte Slavorum, non negatur de reliquis. Adeoque sicut nunc, non soli illi sunt Slavi, qui Slavoniam inhabitant, sed alii quoque: ita primitus omnes Slavi fuerant, licet *Procopius* & *Agathias* unam tantum illorum partem, suam Historiam scribens, expresserit. Unde non ita alligari debemus, huic vel illi authorum relationi, ut, cum dicunt: hinc aut illinc, Slavos erupisse, continuo inferamus, alibi Slavos minime fuisse, nec Lechum aliunde, nisi ex Bosphoro immediate potuisse venire; Sed cum Regionem inquirimus, ex qua immediate venit, omnes Provincias Europæ præ oculis habere debemus, quas Slavi incolebant, præscindendo omnino ab hac, vel illa excursione Slavorum. Si enim cum determinato exercitu simul erupisset *Lechus*, & immediate fundasset Regnum, defacto non ignotus fuisset *Procopio*, vel saltim *Agathiæ* continuatori ejus, tam notabilis excursionis effectus.

8. Licet namque hæc excursio Slavorum sub Justiniano fuerit notabilior, ex eo, quod tunc Imperium Romanum magis ad interitum inclinaret, undique a Barbaris infestatum: Non tamen prima fuerat; neque tunc in Europa primum visi sunt Slavi. Etenim *Synesius in Orat. ad Arcadium Imper.* circa annum 400. meminit Slavicæ Gentis, cu-

jus

jus numerus, animus, ob Multitudinem illorum in ditionibus Romanorum, terrori esse deberet toti Imperio. *Et Porphyrogenitus lib.* 3. sæculo III. multas Urbes in Dalmatia a Slavis possessas fuisse meminit. His accesserunt alii, sæculo IV. sub Honorio & Arcadio referente *Blondo lib.* 1. *Hist. Dec.* 1. Initio sæculi V. copias Attilæ secuti Slavi, cum Volgaris, Thuriis &c. Illumque in suum Ducem elegerunt teste *Fredegario* Scriptore sæc. VIII. *Continuatore Historiæ S. Greg. Turon.* ex quo idem transumpsisse videtur *Mathias Miechow in Sarmat. Asiat. & Europ. cap.* 14. Imo sæculo I. sub Domitiano Imp. anno Christi 82. (licet sub diversis nominibus) bella gessisse cum Romanis meminit *Osorius lib.* 1. *cap.* 7. & continuo illos infestasse, testatur *Iodocus*, *Ludow.*, *Decius*, *de Vetust. Pol. lib.* 1. Si igitur non nomini, sed rei attendamus, bella & sedes antiquissimas Slavorum, in Illyrico, Dalmatia, ceterisque Europæ partibus fateri cogemur. Licet enim postea Ducum Nobilitas, vel locorum differentiæ, nomina specifica dari Slavorum multitudini persuaserunt, ut notavit *Procopius de Bel. Wandal. lib.* 1. *cap.* 2., Genus tamen omnium unum semper fuit. Ut dictum *hic Sect.* 1. *per totum & Sect.* 5. *No.* 12. Hinc undecunque dicatur Lechus venisse, semper, e terra & Regione Slavica venisse, probari potest.

9. Nonnulli tamen immediatam Lechi migrationem præ oculis habentes viciniorem Poloniæ Regionem, Patriam Lechi & Czechi ostendunt. *Crantzius*, *Dubrawius*, & plures ex nostris Croatiam fuisse dicunt: *Mathias a Miechow. Chron. Reg. Pol. lib.* 1. *cap.* 1. Lechum habitasse in Croatia dicit, ad flumen *Krupa*, & Regiam in *Psary* habuisse; ubi nunc pagus & arcis rudera conspiciuntur. Carinthii hanc sibi famam vendicant &, non in Croatia Lechum habitasse contendunt, sed in Carinthia. Imo Arcem dirutam ostendunt quondam Regiam Lechi, quam *Krapinam* appel-

lant intra montem *Raicz*. Sed hæc sententia conciliari potest: nam *Croatas*, sive *Chrobatos*, non in Croatia tantum, sed in *Carinthia* quoque habitasse dictum est *num.* 7. immediate, & adhuc dicetur infra *Par.* 2. *Sect.* 4. *No.* 9. *Cromerus lib.* 1. *Cap.* 16. licet inclinet in aliam Sententiam, hanc tamen non improbabilem esse dicit. Meminit *Porphyrog. de Administ. Imper. Cap.* 30. Oppidi *Psary*. Enumerando enim Oppida, quantum unumquodque solvere tributi deberet Præsidi Provinciæ, dicit: τὸ κάστρον τὰ Ὀψαρὰ id est *Castrum Opsara* 100. nummos solvere tenetur. Verum si Castrum *Opsara* Porphyrogeniti, idem est cum *Absaro* maritima Civitate, forte differet a *Psary*, quæ mediterranea est.

10 Quod autem aliqui ex Dalmatia & Illyrico Lechum adducant, nil discrepant a præcedenti sententia. Illo etenim tempore, adeo late patuit Dalmatia, ut plures Provincias, quandoque diversas, includeret. Tempore namque Heraclii in Dalmatia habitabant, *Crobati*, *Serbli*, *Zachlumitæ*, *Terbuniotæ*, *Canalitæ*, *Diocletiani*, *Arentani*. *Teste Porphyrog. cap.* 29. qui successu temporis distinctos populos, & diversas Gentes fundarunt. *Senulatus* autem, sive *Sevioladus*, slavice *Swewlad* dictus, Pater *Selimiri*, *Lechi & Czechi*, ultra Dalmatiam Regnum suum in Septemtrionem extendebat, a finibus Walachiæ, usque ad modernam Poloniam, ut ex *Diocleate* & *Marulo* dictum hic *Sect.* 5. *No.* 5. & 6. Vocabaturque tota Illa Regio *Zenta*, utraque *Prevalis* seu *Przewal*. Continens *Zachlumiam*, *Terbuniam*, *Diocleam* &c., ubi nunc *Dalmatia*, *Serbia*, *Croatia* &c. teste *Farlato in Illyrico Sacro Tom.* 2. *p.* 161. Videtur quidem eidem *Farlato Illyric. Sac. Tom.* 1. *p.* 125. incredibilis amplitudo Swewladiani Principatus. Non tamen nude accipienda narratio, quasi hoc totum spatium terræ uni Principi obediret tanquam absoluto Domino. Sed, quod omnes minores Dynastiæ, seu (ut appellabant) *Zupaniæ*, ad illum se referrent, vel propter affinitatem, vel ratione Pactorum, amici-

amicitiæ, fæderum, Societatis, ut interpretatur *Joannes Lucius in notis ad Diocleatem. Vide etiam hic Part. 2. Sect. 4. No.* 10.

11 Ex dictis igitur, concluditur omnes Relationes de adventu Lechi, & Patria, unde migravit ſolum accidentaliter differre. Illi etiam, qui eum a Boſphoro veniſſe dicunt, primitivam Slavorum migrationem reſpiciunt, ad ſæculum III., & deinceps pertinentem. Quotquot enim Gentes in Europam tranſierunt ad Pontum Euxinum, & ad Mæotim, primitus habitarunt. Et cum illos natale ſolum ſuſtinere non poſſet, in vicinas terras, quandoque etiam in remotiſſimas, migrabant. Ut oſtendi *Sarmat. Europ. cap.* 1. *& ſeq. & lib. de orig. linguæ Pol. ſenten.* 2. Slavi vero qui initio ſæculi VI. a Boſphoro migrarunt bifariam diviſi ſunt. Alii *Wandaliam* antiquam occuparunt, alii trans Iſtrum in Dalmatia ſederunt. Lechum vero ſecum eo tempore non deduxerunt, ſed populum ab illo regendum, auxerunt; cum ibidem jam dudum Anteceſſores Lechi manerent.

12 *Lechus* ergo, ex Patrio Principatu *Selimiro* cedens, cum Fratre *Czecho*, primo verſus occaſum, ubi nunc Croatia, deinde Septemtrionem verſus, divertit, populum diverſarum propaginum Slavicarum ſecum trahens. Neque incitatis equis, in hunc locum perrexit, ſed ad affines, ac amicos divertens, ibique ut occaſio, vel hoſpitalitas exigebat, commorans, per Pannoniam in eas partes venit, quas Albis, Viſurgis, & Vandalus dividit. Gratus Hoſpes, licet peregrinus, quod ejusdem Gentis, & idiomatis fuerit, a plebe, diu ſub populari Regimine, & quadam ſpecie Reipublicæ, male concordi, ad Monarchicum regimen vocatus. Non ſtatim vero Regnum poſſedit, ſed poſt perſpectam bene indolem, datoque virtutis ſuæ experimento, Princeps ſive Rex ſalutatus, ſuſcepta in bono Ordine retinuit, novæ Patriæ & Regni, limites ampliavit. Hanc ſententiam probabiliorem dicit eſſe *Cromerus de Orig. & Reb. Pol. lib.*

1. *cap.*

1. *cap.* 16. *Joannes* quoque *Dubravius Episc. Olomuc. Hist. Bohem. lib.* 1. Lechum & Czechum in his Oris, ubi regnare cæperunt, Slavos incolas reperisse dicit. Quid quid sit de causa adventus, sive eos necessitate coactos, sive vocatos, venisse quis dicat. Sufficit, quod & Principes, cum suis sociis, & illi ad quos venerant, non per immensa spatia distarent, & unius Gentis fuerint, solo nomine differentes.

Unde, tam de novo advenientes, quam in his oris manentes unitos sibi populos, deinde *Lecho* ac *Czecho* subditos, ipsosque Principes, *Aborigines* dicere possumus scilicet: αὐτοχθόνας sive *Indigenas*. Relative tamen ad Lechitas, sive Polonos, & Czechos, Lechus ac Czechus πρωτόγονοι seu *Conditores*, vel *Authores* suarum respective *Gentium* dici poterunt.

SECTIO IX.

Quo tempore Lechus in has Oras venerat.

1. Si tam regularem motum haberent homines, ut Planetæ, posset calculo quispiam assequi, quo loco, ante mille annos, constiterunt. Verum, cum determinatio temporis dependeat a libertate Migrantium, quorum viæ non annotatæ, sero nimis investigari cæperunt: Ideo sicut illi, de loco ad locum transeuntes, multa itinera confecerunt, ita, illos nunc assequi volentes, errare aliquando coguntur. Sic actum de Lecho qui transiens in Oras Poloniæ per varias Regiones, quemadmodum vestigia sui itineris ac moræ reliquit, ita de tempore adventus sui, magnam quæstionem resolvendam, successoribus proposuit.

2. Hinc, variæ Opiniones formatæ, determinatum tempus confuderunt *Mathias de Miechovia Chron. Pol. lib.* 1. *cap.* 1. ponens Lechum non longe distantem a *Javan*, videtur supponere illum mox post Diluvium huc advenisse. Verum illius sententiam hanc defacto non fuisse, ostendi

hic

hic *Sect.* 5. *No.* 2. Dixit enim a *Javan* Lechum processisse per *Helissam*: Sed non immediate illi successisse. E contra *Wenceslaus Hagecus* Scriptor Bohemicus, multum removet adventum Lechi, scilicet ad annum Christi 644. *David Chytræus in Saxonia Chronolog. lib.* 1. Anno 500. venisse affirmat. *Bernardus Waporoscius. Hist. Pol. lib.* 1. & *Guagninus Hist. Pol. Tom.* 2. adventum Lechi, in annum 550. incidisse, credit. Alii annum 527., alii 560. assignant. Ratio multiplicatarum opinionum hæc est: Cum enim plures excursiones Slavorum annotantur, a *Procopio* & *Agathia*, quilibet, sequens majorem probabilitatem, huic, vel illi excursioni, associat Lechum. *Cromerus de Orig. & Gest. Pol. lib.* 1. *cap.* 17. licet videatur adventum Lechi conjungere cum prima excursione Slavorum in Thraciam, sub Justiniano Imperatore, cum alia turma eorundem, quæ recta a Bosphoro venerat in Poloniam, nullum tamen determinat tempus. Et epocham illam, quam *Vapovius* proponit, intrusam ab aliquo Sciolo esse dicit, concluditque nil determinati posse in hoc casu assignari, quod difficultatem, ac dubium non pariat.

3. *Lengnich Dissert. de Major. Polon.* §. 2. Lazos, pro Lecho substituens, illos in has Oras venisse dicit, ante annum Christi 550., ne terra relicta a Wandalis, & Burgundionibus multo tempore vacans, sterilesceret. Non exprimit quidem annum, verum tacite innuit, hanc migrationem accidisse sæculo V. & completam fuisse sub initium sæculi VI. Sed hoc arbitrarie dictum: torquendo nimirum rem ad suum propositum. Sciens namque *Tzatum* sive *Zathum* Regem Lazorum anno 522. Constantinopoli baptismum suscepisse, Lazos vero qui in Poloniam venerant, Gentiles fuisse, hunc unicum effugiendi locum invenit; illos, qui migrarunt, ante promulgatam Fidem Catholicam e Patria migrasse. Sed debile hoc inventum nil illi suffragari posse, luculentius demonstrabitur infra. *Part.* 3. *Sect.* 4. *per totum.*

4. Fruſtra vero migrationibus Slavorum adjungitur Lechus. Nulla enim contigit, quæ veriſimiles rationes non ſuggereret; nulla, quæ efficaces. Omittendo etiam Alanorum, Roxolanorum, Volgarorum, & plurium aliarum Gentium Sarmato-Slavicarum excurſiones: Si illas tantum famoſiores reſpiceremus, quæ a probatiſſimis Authoribus deſcriptæ ſunt, confunderemus ſatius, quam probaremus adventum Lechi. Nunquam in anteceſſum, tam numeroſæ, & felices proceſſerunt Slavorum Copiæ, quam ſub Juſtiniano ab anno 528. ex quo factus eſt Imperator, referente *Procopio de Bel. Goth. lib.* 1. *cap.* 29. Vaſtaverunt poſtea Illyricum, & Dalmatiam. *Ut Idem refert lib.* 3. *cap.* 29. Nec quieverunt ſub Mauritio, Iſtriam debellantes, ut patet ex Epiſtola *S. Greg. M. ad Epiſc. Iſtriæ.* Sed jam tum & multo magis ſub *Phoca*, non de novo acquiſiverunt, ſed ampliarunt tantum poſſeſſiones ſuas: Ut ſcribit *Blondus Hiſt. lib.* 9. *Dec.* 1. Non eripuerunt illi aliena, ſed Anteceſſorum ſuorum, per varias ſortes amiſſam poſſeſſionem, recuperarunt. Illæ poſtremæ excurſiones Slavorum, migrationes dici non poſſunt, cum nullo proceſſerint, ubi prius Generis ſui, Populi non habitaſſent, ut probavi in *Sarmatia Europæa per totum*: *& hic Par.* 1. *Sect.* 8. *No. ſequ.* Exercitium tantum erat virtutis, excuſſio Jugi, & priſtinæ libertatis reſtitutio.

5. Unde, ſupra citatus *Lengnich*, migrationem *Lazorum* pro *Lecho* ſubſtituens, bis erraſſe creditur. *Primo*, quod in vacuas ſedes Wandalorum & Burgundiorum Slavi venerint. *Secundo* quod cum illis Lechus tanquam Dux Exercitus Lazorum migraverit. Primum minime ſubſiſtit. Si enim aliquis populus migrabat, non ita evacuabatur terra, ut nullus ſupereſſet, ſed juventus congregata trahebat ſecum conſanguineos, ac vicinos; tunc, quando natale ſolum alendis ipſis minime ſufficiebat. Magiſtratus autem viros ſtrenuos inſtructos armis, & commeatu, juvenes, cum

pro-

prolibus, & uxoribus, expediebat (quod frequenter fecisse Lacedæmonios legimus) Senes vero & qui suas possessiones habebant, domi manebant. Unam tantum extraordinariam Migrationem Helvetorum describit *Cæsar Commen. Bel. Gal. lib.* 1. *cap.* 3. qui consentientes in unum omnia secum traxerunt, & ne amor Patriæ quempiam avocaret, Domos, & quæcunque superfuerant combusserunt. Slavorum autem Excursio fuit ex Viris bellicosis, juvenibus robustis, composita, qui ob reverentiam Seniorum in alias terras recedebant, donec omnes implerent. Sicque, & illi qui manebant in Patria, & illi qui recesserunt, & alibi castra posuerunt, unius generis fuerant. Ut patet in Wandalis ac Sarmatis, quorum primitiva Mansio etiam post emigrationem eadem fuerat, ad Bosphorum, vel Mæotim, ubi primitus manebant: quod in altera quoque migratione a Vistula contigisse sola ratio dictat, & manens perpetuo titulus Vandalorum, antea circa Reges Poloniæ, nunc circa Reges Daniæ idemmet suadet. *Secundum* autem probari non potest cum ex dictis hic *Sect.* 5. *&* 6. ac ex dicendis mox, patebit, Lechum, Lazos neque novisse.

Nulli ergo excursioni Slavorum, quarum meminit *Procopius*, *Agathias*, *Porphyrogenitus*, *Blondus &c.* Lechus admiscendus est, nec epocha illius cum prædictis migrationibus, quidquam commune habet.

6. Aliæ igitur circumstantiæ adventus Lechi in has Oras inquirendæ sunt. Et primo Motivum videndum; deinde Chronologia Antecessorum ejus, coordinanda. Motivum quidem non fuerat (ut aliquibus placet) Fratricidium. Quem enim occidisset ille? vel Frater illius Czechus? cum ambo exissent, Senulato II. Fratre suo regnante, post quem Selimirus Filius illius hæreditatem Paternam diu quiete possidebat. ut dictum *Sect.* 5. *No.* 4. *seq.*

Fuit igitur honestum, & utile motivum. Quia namque jure antiquo major natu Patri succedebat, aut obedien-

diendum erat Senulato, aut rixandum perpertuo, aut migrandum. Hoc igitur ultimum consilium arripuerunt; *Totii*, sive *Totilæ* Patrui sui sequentes exemplum, in aliorum ditiones transeundo; non animo tamen invadendi aliena, sed resoluti, sequi fortunam, quamcunque Dii dedissent. Cum autem (ut supponitur, nec contrarium a quoquam proponitur) Fratri Senulato uterque Princeps *Czechus* & *Lechus* valedixissent, pedetentim, per amplissimas Provincias ditionis Paternæ, recedebant. *Amplissimas* dico: Licet enim *Luccari lib.* 1. *Annal. Ragus.* asserat ex quodam viso a se Diplomate *Selymirum Zantæ* solum Comitem fuisse: id tamen intelligendum, non unam tantum *Zantam* habuisse, sed, quod hæc, plurimis bonis Patrimonicis postea accessisset. Attamen *Marulus* plures Regiones recenset, & *Joannes Lucius in Notis ad Diocleatem No.* 2. Dominium a Mari Adriatico usque ad limites modernæ Poloniæ extendit. *Farlatus autem Tom.* 1. *Illyrici Sacri pag.* 338. dicit possedisse *Zantam* superiorem, & inferiorem; & *Prevalim* seu *Przewal*, id est totum spatium, quod Lacu *Labeatio*, sive *Scodræ*, vel *Scutari* dividebatur. Igitur per hæc loca lento passu transeuntes Fratres, obviorum populorum trahentes multitudinem, procedebant: deliberando, ubi commode castra ponere, & quiescere possent. *Farlatus Tom.* 2. *Illyr. Sacr. ex Luccari lib.* 1. *Annal. Ragus.* Et quoniam anno Christi 406. Stillico evocavit Wandalos a rippa Vistulæ, quibus numerosi adjuncti fuerant *Suevi, vel Slevi*, *Marcomani*, *Quadi &c.* Terra illa semivacua, commoda tamen, illis, tum Populorum illos sequentium habitationi, visa fuerat.

7. Forte tunc illæ Regiones more populari gubernabantur (quod plerumque apud Slavos contingebat, juxta *Procopium de Bel. Got. lib.* 3. *cap.* 4.). Vel certe Principibus Populi vita functis, aliis ex Italia & Gallia non comparentibus, incommoda varia acciderunt, & tædium Arnarchicum

cum vel Democraticum Regimen causavit. Ideo adventare Principes suæ Gentis, linquæ, pacificos, exercitu, ac opibus auctos, inaudientes, honesta legatione, ad se invitarunt. Advertendo vero eorum indolem ad Regimen natam, pro Regibus & Principibus salutarunt. Hæc tamen expeditio, & iter prolixum, uno anno expediri haud potuit.

Nec pura sunt hæc auguria. Neque enim vacuas terras istas fuisse certum est, teste *Blondo lib.* 1. *Decad.* 1. *Hist.* Neque Bellum itinerando gessisse, & armis sibi viam aperuisse legimus, adeoque pacifice terras has possedisse, dicendum est.

8. Nunc juxta dicta *Sect.* 5. *No.* 4. & *sequ.* taliter coordinatur Chronologia ex illis Authoribus, qui diligentissimi rerum Slavicarum indagatores fuerunt.

Swewlad sive *Senulatus* I. decessit anno Christi 402. successit *Brusius* primogenitus, quo steriliter decedente, *Totila* vero in Italiam recedente: successit *Ostrowoj* sive *Ostrilus* Pater Senulati II. Frater ex altera Uxore, Lechi & Czechi. Et quia *Ostrowoj* decessit anno 535. Fratres Lechus & Czechus, honeste *Swewlad* sive *Senulato* II. convivebant. Videntes autem *Selymirum* Nepotem ex Fratre, adultum esse, capacemque Regiminis, jamque successorem declaratum a Patre, præveniendo fata *Senulati*, nec multum confidentes juventuti *Selymiri*, consentiente *Swewlad*, ad extremos limites dominii Ejus recesserunt. Hoc autem mortuo, post aliquam moram, subterfugiendo occasionem diffidiorum, seditionum, (quæ excitari solent pluribus Principibus in eodem Regno manentibus) leni passu ultra limites excesserunt, expiscantes quo animo ab incolis reciperentur. Conciliatis vero sibi amicis, & sparso rumore, qui? & quales sint Principes? omnium corda & oculos in se converterunt. Ad Regnum tandem vocati, Czechus quidem circa annum 550, Lechus circa annum

 553.

553. Regimen subditorum respective populorum, susceperunt, & Regno, ille Czechorum, hic *Lechorum* vel *Lechitarum* initia dederunt. *Hæc ex Diocleate & Morulo, Luccari Annal. Ragus. lib.* 1. *Farlato Illyrici sacri Tom.* 2. Consentiunt in substantia rei, licet non interminis *Dlugossus lib.* 1. *Hist. Martinus lib.* 8. *Chron. Univers. de Regn. Pol. ad An.* 550. *Bernardus Waporvius Hist. Pol. lib.* 1. *cap.* 13. *Mathias Miechow. de Sarmatia lib.* 1. *cap.* 13. Et omnes fere Poloni, Bohemi, & exteri, rerum Slavicarum Scriptores.

9. Neque tamen pertinaciter contendo dictos Principes hoc præcise anno venisse, & Regno nostro initium dedisse, plus enim nobis attribuerem, quam ceteris Regnis concessum est, quæ determinatas epochas suæ originis non habent, nisi admodum recentiora sint. Antiquitati aliquid indulgendum; nec tamen admittendum, ut cum demonstrare initia Mathematice haud possumus, a veritate investiganda abstineamus. Sperantes, quod post multos labores, finem quæsitum assequentes, de inventa veritate gaudere possimus. Nec nobis ignominiosum ducimus, aliquid saltim invenisse, quo contentæ erant omnes Gentes politissimæ. *Romæ*, diligentissime conscribebantur Fasti, Urbis tamen principium diversimode assignant Scriptores; *Varro* dicit initium sumpsisse anno 3. Olympiadis Sextæ. *Dyonisius Halicarnasæus* incipiente Olympiade septima. *Timæus Siculus* annis 38. ante Olympiadem primam. Q. *Fabius Pictor* anno primo Olympiadis octavæ. *L. Concius. anno quarto Olym.* 12. Imo, ipsa Olympiadis primæ determinatio a variis epochis dependet, quæ tamen vix probabilitatem excedunt. Excidium Trojæ, & si quæ similia a Chronologis adducuntur, determinatum tempus non habent. Idem de aliis, quæ sæcula aliquot excedunt, judicium esto; parum veritatis in illis nos assequi posse, (si solam Chronologiam, sacræ Scripturæ excipias, quæ tamen a difficultatibus & oppositionibus, non undequaque libera est.)

Unde

Unde de initio Regni Poloniæ, & de adventu Lechi certiora prætendere non possumus; cum hæc sufficiant: Lechum in has Oras venisse sæculo VI., & quidem, nec prius ante annum Christi 547., nec posterius, quam circa annum 555. gratiæ referendæ sunt tum nostris, tum exteris Scriptoribus, quod obrutam tot ruinis veritatem, licet non undequaque salvam, integram tamen, & magno labore eruderatam, nobis, tanquam optatissimam hæreditatem, reliquerint.

SECTIO X.

Lechitæ vel Lachy, quondam Poloni, sic a Lecho denominati.

1. Si quid existentiam Lechi probat, certe denominatio Gentis Lechicæ a suo primo Rege, & Regni Fundatore, aliis rationibus efficacius credendum est argumentum. Omnium namque populorum consensu, qui confines fuerunt Polonis, ante sæculum X. Gens nostra Lechica dicebatur, populi, Lechitæ, vel *Lachy*, singuli vero *Lach* nominabantur. Ita antiquissimus Historicus *Kadlubko*, licet a Piasto Chronicon incipiat, Gentem tamen Piasto subjectam, *Lechitas* vocat. Imo hucusque hoc Nomen *Lach*, apud Russos, Moscovitas, Turcas, Dalmatas, non aliud significat, nisi Polonum sive unum de Gente, cui primo præfuit Lechus. Persæ quoque Regnum Poloniæ exprimere volentes *Lechiæ* nomine utuntur, v. g. *Evanes Lechlu Paclifzach*. Sc. *Joannes Poloniæ Rex*. ut refert. *P. Thaddæus Krusinski in Prodromo Hist. Pers. fol.* 268. Sicut autem impossibile est, per tot sæcula errasse, non aliquos, sed omnes populos, ita nil certius nominis hujus *Lach* aliud non fuisse Nomen, radicale, & originarium, nisi *Lechi*, primi Principis, & Fundatoris Regni Polonici. Suadet id mos ab antiquo receptus, ne casu, vel fato, Gentibus imponeren-

nerentur nomina, ſed ex propoſito, vel a Regibus, Ducibusque; vel ab excellenti quopiam facto, vel a virtute bellica appellationem ſortirentur populi.

2. Antequam Reges ſucceſſivi haberentur, ſed plures Familiæ in unum corpus Reipub. coalescentes, democratice, vel ariſtocratice regerentur, Nomina popularia ex diverſis occaſionibus ſortiebantur incolæ. Vel etenim appellabantur a Locis fixis, uti *Harwaty*, a montibus, vide hic *Sect.* 5. *No.* 8. *Wolgary*, vel *Bulgari*, quod a flumine *Wolga* huc veniſſent. *Phryges* ſive juxta *Herodotum lib.* 7. *cap.* 73. *&* 105. *Briges* quod ab antiquo littora maris *Ægei* poſſiderent (littus autem Slavis *Bryg* dicitur) Imo ipſi *Scythæ Skythæ* dicti, quod de loco in locum tentoria transferrent, ut dictum hic *Sect.* 1. *No.* 3. Alii a caſu quopiam, vel a glorioſe geſtis, nomen obtinebant. Sic *Gothi* a Magog procedentes *Gotowie* dicebantur, quod ad bellum ſemper *parati*, ſcilicet *Gotowi* fuerint. *Bithynii* a ſtrenuitate nomen ſortiti, ſcilicet *Bitni. Budini*, quod caſas de ligno extruerent, quæ *Budy* dici ſolent &c. plures alii diverſimode nominati, eo, quod Regum ſucceſſionem non haberent, ſed populariter regerentur, vel pro exigentia rei *Zupanos* ſive *ſeniores*, & Duces ſibi temporaneos eligerent.

3. Poſteriori tamen tempore, poſtquam experientia docti ſunt, melius eſſe uno loco conſiſtere, formam regiminis unam tenere, illiusque regimen, uni committere; a Ducibus primis, ſingulæ tribus denominationem ſumebant, & ſe invicem diſtinguebant, dicente *Procopio de Bello Wandal. lib.* 1. *cap.* 2. *Plurimæ ſunt nationes Gothicæ, ſed inter eas Gothi, Wandali, Wiſogothi, & Gepædes, cum numero, tum dignitate præſtant, olim Sauromatæ dicebantur. - - Vocabulis omnes, nulla vero præterea re inter ſe differunt, ita ut ad unam univerſos Gentem pertinuiſſe quondam, ac ſuorum deinde Ducum nominibus diſcretos fuiſſe, exiſtimem.*

4. Ex hoc teſtimonio Procopii vel maxime inferri poteſt.

Po-

Populos, qui Lecho & Czecho ſubjecti fuerant, Ducum ſuorum nomina aſſumpſiſſe, & Lechos, ac Czechos, a Principibus ſuis denominatos fuiſſe. Si etenim aliæ Gentes Sarmaticæ vivente Procopio id feciſſe creduntur: etiam Lechitas, Lehi nomen ſumpſiſſe, permittendum. Maxime, quod eodem Sæculo Procopius Hiſtoriam ſcriberet, quando Lechus & Czechus regnare cæperunt: & mos aſſumendi nomina Ducum inter Sarmato-Slavos jam invaluit. Idem teſtatur *Jornandes lib. de Reb. Geticis circa princip.* Scriptor ſæculi VI. dicens: *Vinidarum Natio populoſa, quorum nomina licet nunc per varias Familias & loca mutentur, principaliter tamen Slavini & Antes nominantur.* Ubi vide; Slavos eo tempore in diverſas familias diſtinctos: in diſtinctis locis, diſtincta Principum nomina aſſumpſiſſe.

5. Gentis igitur Slavicæ morem præ oculis habendo, ex non interrupta traditione, facillime concluſerunt Hiſtorici, Lechitas a Lecho dictos fuiſſe. Ita *Joan. Dubravius Hiſt. Bohem. lib.* 1. *Mathias a Miechow. lib.* 1. *cap.* 2. *Guagnin. Hiſt. lib.* 1. *Sigism. Heberſtennius Coment. Rer. Moſcov. Iodocus Ludov. Decius de Antiquit. Polon. lib.* 1. & omnes, cum noſtri, tum vicinarum Gentium Hiſtorici. Unde recte concludit *Cromerus lib.* 1. *cap.* 16. dicens: *neque fabuloſum omnino habendum eſt, id quod diuturno, non tantum horum populorum,* (ſcilicet Polonorum & Bohemorum) *ſed cunctæ Slavicæ Gentis conſenſu celebratur, Lechum & Czechum, Principes, hisce Slavorum Populis, præfuiſſe, & nomina indidiſſe.*

6. Nec obſtat quod *Porphyrogenitus lib. de Adminiſt. Imper. cap.* 31. eodem loco ubi Bohemi ſunt *Serbos* ponat, & ubi Lechus conſediſſe dicitur *Chrobatos Albos.* Tanta enim Locorum diſtantia & nullum cum Imperatoribus Romanis negotium, ſed, neque diligens inveſtigatio illorum, quæ ultra Limites Imperii fuerant, excuſare authorem poteſt. Neque enim, ut incipiebant Regna, illico nomen ſuum vulgarunt; Verum, ſenſim creſcente fama, & dilatatis

terminis, emergentibus negotiis, ſuccedentibus bellis, pactis, proprio appellabantur nomine. Sic Romani poſt mortem Romuli diu *Latini*, *Aborigenes*, *Quirites* dicebantur. Sero nimis, poſtquam potentia illorum aucta fuerat, ampliatum Regnum, & cum diverſis Gentibus negotia interceſſerunt, Fundatoris ſui nomen divulgatum eſt, ipſique conſtanter Romani dici cœperunt.

7. Pariter de Lechitis dicendum illos ab extraneis diverſimode appellatos fuiſſe; quantumvis populi inter ſe, & ab exteris Lechitæ dicerentur. Et ipſa Polonia ab exteris Scriptoribus, diu, non Lechia, ſed *Suevia Magna*, vel potius *Slavia* Magna dici, & ſcribi ſolebat. Verum tamen quanto tardius nomen hoc ab omnibus acceptatum fuerat, tanto diutius perſeverabat. *Podlachiæ* namque Palatinatus acceſſit Regno Poloniæ circa annum Chriſti 1250. nomen ſortitus *a Lachis* quaſi dicas, *terra ſubjecta Lachis*. *Vide Sarmat. Europ. cap.* 6. *§.* 9. *Cromer de Orig. & Reb. Polon. lib.* 8. Licet tunc jam Poloni dicerentur non Lechitæ. Sed quia nomen Lechitarum antiquorum, notius fuerat, quam Polonorum, ideo vulgo placuit: ſatius appellare *terram Lechitarum*, quam terram Polonorum, idque ideo (ut notat *Cromer.*) quod dum a Jazygibus teneretur *Podlachia* id nomen Terra haberet, quod *Lachis*, ſeu Polonis vicina eſſet. Nil ergo obſtat Regnum Lechi, a Synchronis Scriptoribus *Lechiam* non fuiſſe dictam, cum nondum nomen hoc ſufficienter vulgatum fuerit. Licet tamen ſero in uſum venit, diutiſſime tamen perſeveravit, & uſque nunc manet.

8. Utrum autem Hungari, Polonos *Lengel* appellando, exprimere primitus voluerint *Lechel*, ſeu *ſucceſſores Lechi*, ut vult *Cromerus lib.* 1. *cap.* 16. *& Dubravius lib.* 1. *Hiſt. Bohem.* ſuum cuique judicium eſto. Ego ſuppono, nomen hoc ſortitos fuiſſe ſocios Lechi, priusquam Lechitæ dicerentur. Et quidem tempore ipſius migrationis ex

Dal-

Dalmatia, ſive Croatia. Cum enim Lecho, diverſarum Provinciarum Slavicarum adhærerent Socii, *Lengelos* ſive *Leligos*, *Huni*, ac Pannonii appellarunt, ex Græco λελεγωſσι ſcilicet *collecti ex diverſis Gentibus*, qualiter etiam Aſiæ, populos *Leleges* appellavit *Strabo lib*. 7. 9. 10.

SECTIO XI.

De Nomine Polonorum diverſæ Opiniones adducuntur.

1. Conſenſu omnium Gentium Slavicarum, uſque in hanc diem non interrupto, Gens Polonorum in ſuis primordiis Gens *Lechica* ſeu *Lachy* dicebatur. Non idem tamen affirmare poſſumus de nomine Polonorum. Habent quidem hæc nomina *Lachy* & *Polacy* quandam apparentem Analogiam, & affinitatem, non eandem tamen ethymologiam, tam in Latino, quam in Slavico idiomate. Conveniunt *Polacy* cum *Lachy* quibusdam literis, ſed plurimum alteratis. Ideo hæc duo nomina, diverſa eſſe, & non alterata ſolum, ſed alia quilibet agnoſcere poteſt. Si etenim idem nomen eſſet, promiſcue illo veteres uſi fuiſſent. Aliter tamen factum, cum Nomen *Lachy*, multo tempore præceſſerit, cui nomen *Polacy* tandem ſucceſſit. *Dubravius* quidem *lib*. 1. *Hiſt*. *Bohem*. *Lachos* & *Polachos* a *Lech* denominationem ſumpſiſſe dicit; Inclinare quoque in hanc opinionem videtur *Cromer lib*. 1. *cap*. 13. Cum tamen nullus Hiſtoricorum circa initia Gentis hæc nomina uſurpata fuiſſe affirmet: puto modico tempore, hæc nomina in uſu fuiſſe. Et poſſumus quidem tempus determinare, illud ſcilicet, quando Lechitæ nomen Polonorum aſſumebant. Tunc etenim quando alii *Lachos* alii Polonos appellabant: alteratione nominum, quidam ſeducti, utramque denominationem confuderunt, ac ex *Polonis* & *Lachis* tertium nomen *Polachy* compoſuerunt. Donec in-

ter omnes prævaluiſſet, nomen, *Poloni*. Exteri autem, quibus non adeo frequens commercium fuerat cum Polonis, & rara memoria nominis eorum, antiquum nomen *Lachy* uſque ad moderna tempora retinuerunt.

2. Quid autem dederit occaſionem, ut Lachy poſtea Poloni dicerentur, variant Authores, quorum opiniones hic adduco, & judicium meum ab aliis approbandum, vel reprobandum adjicio.

Plurimi ſunt qui *Polonos* a *Pole*, ſive campo appellatos fuiſſe credunt, quod campeſtria inhabitarent, vel, quod ſemper in aperto campo pugnarent; non de vallo, aut fortalitio. Ita ſentit *Dubravius Hiſt. Bohem. lib.* 1. *Cromer lib.* 1. *cap.* 16. *Gvagninus Hiſt. lib.* 1. *Sigismun. Herbeſten. in comment. Rer. Moſcov. Joannes Curæus Freiſtadienſis in Annal. Sileſ. Gabriel Bucelinus. Georg. Univer. Tit. Polonia. Joachim. Vadianus Commentar. in Pomponium Melam de Sarmatia*, & alii plurimi. Hoc tamen non videtur ſatisfacere. Plures enim Slavicæ Gentes, ut Ruſſi, Bohæmi, imo & Hungari circa Danubium, magnas planities habent, non tamen Poloni dicuntur. Imo Polonia non per omnia plana eſt atque Campeſtris præcipue illa ubi primo Slavi ſederunt, ſcilicet circa montes Carpatios, in Palatinatu Sandomirienſi, & alibi. Fortalitia etiam & arces plurimis ante defuerunt, ſi Aſiaticos populos, deinde Græcos, atque Romanos excipias. Unde qui illis carebant aperto campo certare debuerant, ac conſequenter Poloni, dici merebantur.

3. Quidam a *Polo* appellatos fuiſſe opinantur per Carolum M. Imperatorem Romanorum. Qui cum didiciſſet Legatos ex Regno hoc ad ſe venientes ad Septemtrionem habitare, ſeu verſus *Polum Arcticum*, illos primus, *Polonos* in conſeſſu appellavit, ut notat *Hartknoch de Reb. Pol. lib.* 15. *cap.* 1. Verum tamen juſtiori titulo populos ad Albim habitantes, & Pomeranos, (quos ille armis afflixerat)

rat) appellasset Polonos, ut pote viciniores *Polo*: itemque Danos, ac Suecos. Neque in obvio discursu proposita appellatio, obligasset totam Gentem, ad acceptandum hoc nomen. Deinde Carolus Magnus vixit sæculo IX. cum Poloni sub hoc nomine vix post tria sæcula Orbi innotuerint, ut dicetur Sectione sequenti.

4. *Sarniccius Annal. Polon. lib.* 1. *cap.* 12. cui adstipulatur *Gundlingius Dissert. de Regno Moraviæ* §. 7. putat Lechum venisse a *Pola* civitate famosa Istriæ, & secum duxisse copias, ex populo *Pollensi* collectas, qui deinde *Poloni* dicti sunt. Differre tamen inter se videntur: quod *Sarniccius* Polam *Istriæ* urbem dicat, *Gundlingius* autem civitatem *Colchicam*. Sed hoc minus obstaret. Eadem namque civitas designatur. Polam etenim Istriæ, a Colchis extructam fuisse testatur *Mela lib.* 15. *cap.* 3. *Bochartus in Phaleg. cap.* 31.

Major tamen difficultas resolvenda esset, quod *Pola* Istriæ multo tempore ante Lechum primitivum nomen amiserit, & dicta fuerat *Pietas Julia*: teste *Plinio lib.* 3. *cap.* 19., adeoque nec populi *Polani* dicebantur; Et qui antea Rempublicam *Polanam* formabant, ut refert *Sponius Itiner. Dalmat. Par.* 1. & 3. postea nomine *Coloniæ Romanæ* distingui, & appellari debuerant. Deinceps autem, πόλις, sive *Polæ* nomen, non uni loco servivit, sed commune erat non solum civitatibus munitis, verum omni loco habitabili; ut advertit *Struvius Proleg. Sect.* 3. *§.* 6. Unde Ptolomæus in Germania plus quam 90. recenset πολεων ubi nusquam aliqua urbs extiterat. Multitudo ergo *Polarum* officit magis, ne a *Pola* Polonos venisse, probetur. Et dato unam ostendi posse, non modica resolvenda esset quæstio, cur immediate post adventum Lechi, non appellarentur *Poloni* sed *Lechitæ*, vel Slavi? Et cur postea post aliquot sæcula, Lechico nomine abjecto, Gens inculta, & suæ originis vix memor, pristinum nomen *Polonorum* reassumpserit?

5. *Coringius* advertens prædicta non subsistere omnes fere circumstantias circa adventum Lechi examinando, persuasus, Illum ex Dalmatia venisse. Et quoniam nec *Lechi* nomen cum *Polak* conveniret, nec adductæ superius denominationes placerent, aliam Patriam unde Lechus cum sociis exisse putabatur, ostendit *Spalæam* civitatem, a qua Polonos nomen sumpsisse dicit. Verum quidem est *Spalæanos* fuisse Sarmato - Slavicum populum, qui ad *Mæotim* habitabant *juxta Plinium lib. 6. cap. 7.* Huncque populum cum ceteris Slavis venisse in Dalmatiam, & civitatem *Spalæam* condidisse. Si tamen a *Spalæis* nomen *Polonorum* derivaretur, cur quæso in Patria non *Poloni* sed *Spaletani* appellabantur? Quæ occasio fuit tam remotæ denominationis, & alterationis, ut ex *Spaletanis* formarentur *Poloni?* Deinde (quod sæpe repetere cogor) cur inter migrationem, & nomen Polonorum, aliquot sæculis, nomen Lechitarum mediaverit? Neque enim ratio quæpiam persuadere potest ex τὸ *Spaletani* tam corrupte formatum fuisse *Lachy*; & ex τὸ *Lachy* magis differens ab utroque, *Poloni.* Accedit quod *Spalæa* ante Lechum Catholica fuerit, & suum Archiepiscopum habuerit: qui autem in Poloniam venerant cum Lecho omnes Gentiles, fuerunt, & ritus Gentium invexerunt.

6. *Hartknoch de Reb. Polon. lib.* 1. *cap.* 1. *&* 2. Ostendit fuisse quosdam populos indigenas hujus terræ, qui variante accentu. *Bulani*, *Bulanii*, *Polliani*, *Poleni* &c. dicebantur. In hac Tribu latuisse diu nomen Polonorum putat. Et mihi quondam *in Sarmatia Europæa cap.* 14. *§.* 4. hæc præ aliis probabilior videbatur deductio nominis Polonici. Ideo autem præ aliis hanc sententiam elegi, quod scirem, non esse novum, aliqua propria nomina, una, & altera litera, a diversis Scriptoribus alterari. Subsidium etiam opinioni dederat Gens Illyrica *Bulinorum a Hierastamni* ad fluvium *Nestum* extensa, pariter Slavica. Cujus, vel

vel alterius, ſaltim ab eodem ſtipite deſcendentis, meminit *Strabo lib.* 7. Hos populos ſupra *Epidaumnum* ſive *Dyrrachium* habitaſſe dicit *Plinius lib.* 3. *cap.* 22. in parte Maritima Illyrici: qui ab aliis βουλινοί *Buleni* appellabantur. Verum tamen errorem aliquando emendare malo, quam pertinaciter errare. Licet enim modica literarum alteratio non obſtet, quin Poloni a *Bulenis* deriventur. Non video tamen, poſſe ſufficienter reſponderi: cur a prima ſtatim fundatione Regni, non *Boleni* vel *Poleni*, aut ſimili quocunque nomine appellaretur Gens; ſed *Lechitæ*? Et quomodo nomen oblivioni datum reviviſcere potuit poſt tot ſæcula?

7. *Godefridus Lengnich Diſſert. de Major. Polon.* §. 2. profitetur ſe nullius ſequi placitum, cum omnia fabulis ſcateant. Sed ex Patrio nomine Polonorum, promittit ſe deducturum originem ipſorum; & quæ vulgo de Polonis dicuntur in ſuam rem tracturum. Huic promiſſioni ſatisfacere contendit, dicens; *Lazos* ex Colchide veniſſe in has oras, qui alterato nomine poſtea *Licicaviki* dicti ſunt a *Witichindo Corbejenſi.* Unde Poloni nomen ſortiti ſunt a *Lazis*, *Polacy* quaſi *Po Lazach*, ſive ſucceſſores Lazorum.

8. Hanc ſententiam infra examinandam aſſumam *Parte* 3*tia Sect.* 1. *ſequ.* nunc de ſola derivatione nominis *Polacy* a *Lazis*, agendum mihi eſt. Non poſſum ſatis mirari, virum aliunde commendatiſſimum, potuiſſe ſibi perſuadere hanc opinionem ſuam approbandam ab aliis: Si etenim alia non obſtarent: Ratio a me toties repetita prius ſolvi deberet. Dato enim non conceſſo quod originem ſuam Poloni deberent *Lazis*, cur ſtatim, uno, vel altero ſæculo Gens hic habitans, non fuerat dicta *Polacy* ſive *ſucceſſores Lazorum* ſed potius *Lachy*? Deinde nomen Lazorum, tam fœde alteratum in *Lecicavikii* quomodo ſæculo X. iterum reſtitutum, ſub Miecislao quando Poloni primum dici cœperunt? Vel ſi non? quæ Analogia poterit probari inter

Leci-

Lecicavviki & *Polacy*. Cum τό *Polacy* non amplius poterat deduci a *Lazys*, ſed a *Lecicavvikis*, populo, cui Poloni immediate ſucceſſiſſe creduntur. Imo claſſicum nomen *Lachy* ab ipſa origine uſque ad hæc tempora inter extraneos vigens, (& inter ipſos Lechitas uſitatiſſimum, donec, *Poloni*, appellarentur) audebimus ne ex tot Authoribus expungere? & loco Lachy ſubſtituere inuſitatum quoddam, & corruptiſſimum *Lecicavvikorum*, obſtante, firma & non interrupta traditione? reclamantibus omnibus, qui nunquam audierunt circa Viſtulam, alium Populum habitaſſe præter *Lechitas* a ſæculo VI. Permitterem, aliquod fundamentum poſſe habere opinionem, ſi ſupereſſent monumenta, vel ſculpturæ lapidum, in quibus more antiquo prima Syllaba *La*: exarata eſſet; tunc enim poſſent reliquæ literæ ſubſtitui *Lachorum* pariter, vel *Lazorum*, nunquam tamen *Lecicavvikorum*. Licet, nec hoc quiſpiam auderet, ut *Lazos* legeret absque ſufficienti authoritate, vel traditione.

9. Sed quoniam de his redibit ſermo hic *Parte 3tia*, videamus nunc, utrum legitima Polonici nominis derivatio poſſit oſtendi a *Lazis*. Suppoſito namque *Lazos* aliquando conſediſſe in his oris, adhuc probari non poteſt, *Polak* derivari a *Lazy*. Ut enim nomen *Polacy* deducatur a *Lazy* deberent Literæ omnes, radicale nomen componentes, vel ſaltim principales ingredi derivatum, & eundem ſonum retinere. Hic autem prorſus aliter contingit: dum *Lengnich* Orthographia, & ſono Germanorum, vult uti Polonos: & *Z*. enuntiare, ut *C*. cum Poloni nil alterando literas *Z*. ut *Z*. & *C*. ut *C*. diverſo labiorum, linguæ, palati, & dentium motu, enuntient. Unde ſi a *Lazis* Polonici nominis vellem formare derivatum, nec ſcriberem, nec dicerem, *Polacy* ſed *Polazy* vel *Polazacy*, vel *Polazani*. Si autem nunc, quando Germani plures acceſſerunt Polonis, ſalva Orthographia Polonica, una litera radicalis *C*. pro *Z*. non poteſt ſubſtitui; quomodo poſſumus credere pri-

primis illis sæculis id contigisse, quando nec ullus Polonorum novit linguam germanicam, nec Germani tam frequentes fuerant. Et si forte negotiorum causa advenerant, interprete utebantur; aut, Verbis gestus substituebantur. Unde etiam polonice dicti sunt *Niemcy* quasi *Niemi*, seu *Muti*, ut dictum *Libro de Orig. Ling. Pol. Sent.* 4. *No.* 3. Idem enim est audire ignotam linguam, ac mutum inarticulate garrientem. Frustra igitur evocantur Poloni ad Orthographiam germanicam, ut efforment nomen Polonicum (& quidem principale) more, & sono germanico. Ad extremum in derivatis prius formantur casus recti, quam obliqui: & numerus singularis prius, quam pluralis. Hic autem ex convenientia solius pluralis (& quidem non adeo recte instituta) formatur plurale, absque singulari, ac ex obliquo *Po Lazach*, rectus, *Polacy*, sed, nec capio, quomodo singularis efformaretur? nisi forte nimis scabrose, & ridicule dicere vellem pro *Polak*, *Polaz*, vel *Polazak* Ut autem verum fatear, rectius omnes priores derivationes formatæ sunt, præ ista, nimis extorta, & irregulari.

SECTIO XII.

Nominis Polak vero similior adducitur Ethymologia.

1. Quamvis adductæ superius opiniones non satisfaciant examinantium curiositati, neque plene convincant intellectum: non desperandum tamen, quin possit proximior origo vocis *Polak*, & *Poloni*, inveniri. Multum debemus illis, qui non exiguo labore inquirebant veritatem, & licet illam undequaque non explanaverint, excitarunt tamen bonas cogitationes aliorum, ut inquirant. Futurum autem spero, ut vel aliqua ex prædictis solutis oppositionibus, approbationem plenam sortiatur, vel nova quæpiam ex tenebris antiquitatis extracta acceptetur.

Ego quid ſentiam exponere non erubeſco, non ut meam opinionem aliis præferam, ſed ut excitem alios ad meliora proponenda. Et quemadmodum conceſſum mihi fuerat proferre quæ ſentio, de aliorum rationibus; ſic meam quoque ſententiam judicio prudentum ſubdo.

2. Sciendum: ante ſæculum X. imo ipſo initio ſæculi XI. nullibi Polonorum mentionem fieri, & ſi forte occurrit appellatio *Bulanorum*, *Pollianorum* &c. de quibus dictum hic *Sect.* 11. *No.* 6. Certum eſt, non de integra Gente Polonorum narrationem intelligendam eſſe, ſed de quodam Diſtrictu, vel Toparchia Slavorum ſupra Viſtulam habitantium, ut probavi *Sarmatiæ Europ. cap.* 6. §. 8. Gens autem noſtra ſemper nomine Lechitarum vel Lachorum, aut Slavorum veniebat, licet quandoque aliæ Gentes Regno incorporatæ in titulis adderentur, aliquando vero generico nomine ab illis, quibus ignotum erat nomen proprium Lechitarum, *Slavi* appellabantur, non ſolum, quod hoc notius fuerit, ſed, quod Lechitæ glorioſe geſtis, illud ſpecialiter mereri crederentur.

3. Scribit quidem *Joachimus Cureus in Annal. Sileſiæ Pag.* 25. Carol. M. *terruiſſe Polonos*, & compuliſſe ut Aquisgrani ab eo pacem peterent. Item quod Ludovicus Filius ejus aſſidua bella geſſerit *cum Henetis*, *Polonis*, *Bohemis*, idque circa annum 830. Patet tamen clare hos Authores uſos fuiſſe prolepſi. Si etenim illud nomen poſuiſſent, quod ſuo ævo, jam oblivioni apud populum datum fuerat, ſuppoſuerunt ſe, non omnibus ſatisfacturos, Lectoribus. Patet tamen nomen Polonorum, tunc inauditum fuiſſe, cum *Eginhardus in vita Caroli M.* ipſius haud meminerit, ſed tantum *Slavorum*, *Venedorum*, *Abarum*, *Wiltzorum*, & Diſtrictus tantum vicinorum Poloniæ Slavorum, enumerando. *Vide Sarm. Europ. cap.* 7. §. 7. *Witichindus*, *Scriptor ſæculi X. de Geſtis Saxonum lib.* 3. Meminit *Miſcæ* ſeu *Miecislai* Regis, cui tamen Genti præfuerit non exprimit, in-

innuit tantum Barbaris sive Paganis præfuisse, de Polonis vicinis nil prorsus innuendo. Igitur sæculo X. nondum fuerat notum nomen Polonorum, sed diversis Appellationibus præcipue Lechitarum exprimebantur populi, qui postea Poloni sunt dicti. Et quoniam nulla tunc negotia intercedebant, nec adest aliquod publicum instrumentum, in quo nomen Lechitarum exprimeretur: Illud quidem populare tunc fuisse, & usque in Præsentem diem, apud Ruthenos manere, non interrupta traditione certissimum est; Polonos tamen nullatenus probari potest, taliter dictos fuisse initio vel medio, sæculi X.

4. Jam vero post sæculum X. cæpit frequentius usurpari nomen Polonorum, cunctanter tamen a principio donec per varias transactiones, bella, Pacta, omnibus innotuerit. Sed cur tunc assumptum? Dico occasionem nomini dedisse Baptismum, cum a Rege, tum a Populo susceptum. Ab eo namque tempore illi, qui gratiam Baptismi susceperunt *Polani* in plurali, *Polan* in singulari per apocopen dici cæperunt. Verum ut hæc dixi crescunt dubia. Et *primum* quidem: *Polan* vel *Polanus* non est genuinum expressivum baptizati; sed, *Chrzczony*; sicut ipse Baptismus *Chrzest* dicitur polonice. *Polanie* autem nomen indifferens est, ad significandam superinfusionem, sive sacra, sive usualis accidat. *Respondeo* nomen *Chrzest* non esse pure Slavicum & ab antiquo usitatum, sed ex Græco χρίσμα *Chrisma* derivatum. *Polanie* quidem exprimebat applicationem Materiæ necessariæ Baptismi; *Chrzest* vero nomen, posterius denotabat Cæremoniam Baptismalem, seu inunctionem *Chrismate*. *Polani* ergo Baptizati dicebantur, quod eo tempore ob turbas concurrentes ad Fontem sacrum, & paucitatem Presbyterorum baptizantium, sufficere videretur, applicasse materiam & formam necessariam, cæremonialibus prætermissis.

5. Cum etenim (ut testatur *Math. de Miechow. Chron.*

Pol. lib. 2. cap. 1.) a Miecislao indicta fuerit dies una, scilicet septima Martii, qua, confractis simulacris, omnes cujuscunque status homines baptizari debuerint, singuli adhibitis cæremoniis hoc sacramentum suscipere haud potuerunt. Et quia Rex non contentus fuerat, sibi renuntiari omnes Baptismum suscepisse, solus ipse Zelo ardens, obibat vicos, & Castella, inquirens, utrum singuli baptizati fuerint? seu ut scribit *Dlugossus Hist. Polon. Tom. 1. lib. 2. Personales facit aggressus* (scilicet Miecislaus) - - *infantes, mares juxta ac fæminas aquis regenerationis innovat. Alibi ad inquirendum fideles Proceres mittit, utrum omnes sacri Fontis Baptismate initiati fuerint?* Scilicet an omnes essent *Polani*? Quod innuere videtur vetustissimus Historicorum Polonorum *Dlugossus* ex occurrenti circumstantia, conceptis verbis Baptismum exprimens, *per aquas regenerationis, & sacrum Fontem.* Ab hac inquisitione an sint omnes *Polani*? & responsione *Polani*; sæpius repetita, ortum est nomen Polonorum.

6. *Unde Henricus Spondanus in Epitome Cæsaris Baronii ad annum* 956. *No.* 3. Nomen Polonorum antea inusitatum cum Baptismo simul incæpisse dicit *Hic ipse notatur annus, quo accolæ antiquæ Sarmatiæ, Slavorum propago, recentiori* NB. *nomine, Poloni nuncupati, Christiano sunt nomine insigniti.* Et infra: *Sicque Polonorum Regnum, hacteuus obscurum, nec nominatum, Divinæ Lucis radiis illustratum Christiana Religione suscepta, mox cæpit esse toto orbe Christiano conspicuum* ubi aperte dicitur *Polonum nomen* ante Baptismum *inauditum* fuisse, & diversa nomina Gentem Lechitarum habuisse. Taliterque denominabantur, prout vicina Provincia exteris primo erat obvia; scilicet *Gothi, Slavi, Wandali* &c.

7. Accessit & alia ratio cur baptizati potius dicerentur *Polani* sive *abluti* per infusionem, quam *Chrzczeni* sive *Chrismate inuncti.* Eo namque tempore prævaluit in Oriente Schisma; sequaces autem pertinaciæ *Photii*, undecunque colligebant contra Latinos calumnias. Quia vero in Hi-

spania

ſpania circa annum 600. Epiſcopi trinam merſionem deſeruerunt, ut enervarent argumentum Arianum, ad oppugnandam Sanctiſſimam Trinitatem, inde aſſumptum. Quod *S. Gregorius M.* approbavit *lib.* 1. *Epiſt.* 43. Et deinceps ſecuta eſt tota Eccleſia. Ut probat *P. Berti Theol. lib.* 31. *cap.* 16. Schismatici Græci calumniabantur Latinos, & accuſabant invaliditatis Baptismum illorum, ſeque ab illis diſtinguere cæperant, tanquam melius baptizatos. Illi autem Presbyteri a quibus Miecislaus cum Gente ſua Baptiſmum ſuſcepit, erant ritus Latini, ſcilicet, Itali, Galli, cum Ægidio Cardinali miſſi: ut teſtantur *Miechoviensis & Dlugoſſus ſupra citati.* Ideo per infuſionem baptizati, *Polani*, ad diſtinctionem Ritus, conſtanter dicebantur. Pietas autem & Zelus antiquorum Polonorum facile perſuaſit, ut nomen *Polani* ſeu *baptizati*, tanquam ſibi honorificum, primo inter ſuos indigenas, deinde ab extraneis, pro nomine proprio acceptaretur. Confirmatur hoc argumentum uſu adhuc dum inter Ruſſos Schiſmaticos vigente, qui Polonos per contemptum *Polewancy*, ſeu *baptizatos per infuſionem*, appellant.

8. Cur autem nunc apellemur in noſtro vulgari idiomate in ſingulari *Polak* non *Polan*, in plurali *Polacy* non *Polani*? Facilis eſt reſponſio. Hæc namque Grammaticalis Polonorum eſt Regula, ut adjectiva, ſi reformantur in ſubſtantiva, deſinant in *ak* ut *prozny*, *prozniak*: *Dworny*, *Dworak*: *proſty*, *proſtak*: plurale autem habeant deſinens in *acy*, ut *prozniacy*, *Dworacy*, *proſtacy*: Juxta hanc ergo Regulam nomen Adjectivum *Polan*, & illius plurale *Polani*, tranſivit in ſubſtantivum *Polak*, *Polacy*. Hæcque Regula ſervata eſt in nominibus propriis, aliarum Nationum Slavicarum, cum quibus frequentius occurrebat negotium: licet originaliter aliter deſinebant ut *Ruſin Ruſnak*: *Slowianin*, *Slowak*: *Pruſſ*, *Pruſak*. Remotiores vero Gentes abque hoc acceſſorio exprimi ſolent. Ut *Dalmata*, *Serb*, *Moskal*, *Kroata*

&c. Tanto vero facilius nomen *Polan* in *Polak* transiit; quod & Russi contemptum Ritus Baptismalis exprimere volentes, *Polany Lach:* facilius uno verbo composito ex duobus, per τὸ *Polak* explicare potuissent. Nescio igitur utrum ethymologia a me deducta Polonorum, pressior sit illa, quam *Lengnich Dissert. de Major. Polon. §.* 2. promisit, & in sequentibus deducit. Sed vellem judicem Polonum esse, bonum Grammaticum, ac exteris disertum agere Interpretem.

9. Nostri igitur sunt *Poloni*, qui hoc Nomen sæculo XI. Sortiti sunt a re sacra, scilicet Baptismmate, non a privatis & singularibus Personis, sed populariter, a tota Gente eodem tempore suscepto. Et licet *Adamus Bremensis* Scriptor sæculi XI. appellet *Polonos. Helmoldus* ipsi proximus in *Chronico Slavico* vocet *Polianos* (quandoque etiam *Polonos*) *Wippo* nominet *Bolanes*; alteratio tamen sat modica non degenerat a suo Radicali *Polani* vel *Polacy*. Imo confirmat hucusque dicta, sæculo a quo prædicti Authores vixerunt, vel vicino, nomen inventum fuisse, quod cum nondum classicum fuerat, immutationi modicæ subjacebat. Idem fere accidit aliis Scriptoribus sæculi XI. nam Author *Chron. Hildenscheimensis* ad annum 1000. dicit Ottonem III. causa orationis ad S. Adalbertum venisse in *Slaviam*, loco *Poloniam. Wippo in vita Chonradi* ponit *Boleslaus Dux Polonorum. Adamus Bremensis lib. 2. cap.* 18. inter Slavos numerat *Polanos.* Jam vero *Otto Frisingen. lib.* 6. *Chron. cap.* 29. & *Gotfridus Viterbiensis Chron. Part.* 17. *Gregor. VII. lib.* 2. *Epist.* 72. Polonos & Poloniam diserte scribunt. Ex quo patet nomen hoc, novum fuisse, & nondum classicum evasisse circa medium sæculi XI, licet non ignotum omnibus fuerit.

10 Nescio, unde *Sigism. Herbersteinius comment. Rer. Moscov. pag.* 2. sumpserit, campestria, circa Kijoviam, pridem inhabitasse *Polonos* sive *Drewlanos*. Cum *Drewlani*, Slavi licet fuerint, nunquam tamen *Poloni* appellabantur, ut

ut dictum *Sarm. Europ. cap.* 4. §. 15. Quod si narrationem suam ad remotiora, & sæculum XI. præcedentia extendat tempora : *Drewlanos* forte ostendere posset, illos, qui Sylvas inhabitabant, sed nunquam *Polonos*, aut campestria inhabitantes, a quibus nomen sortirentur. Etenim *Porphyrogenitus de Admin. Imp. Par.* 2. *cap.* 9. Si quæ loca accurate descripsit? nulla melius, quam adjacentia Borystheni, ubi illorum etiam apellationes Slavicas, & Russicas, adducit. Meminit Gentium sive Familiarum Slavicarum circa Kijoviam *Cribetæcnorum*, *Lenzanzorum* &c. nunquam Polonorum. Quinimo testatur, Slavos habitasse in Montanis, ibique lintres confecisse, & Danapri primo sub Kijoviam, deinde versus Constantinopolim navigasse. Nullibi igitur *Poloni* vel *Poleni* (nam sic quoque enuntiant quidam rudiores) nisi in Polonia manserunt, & nomen hoc post susceptum Baptismum primo assumpserunt.

11 Quemadmodum autem dixeram superius *Sect.* 10. *No.* 6. Lechitarum nomine non immediate distinctos fuisse Polonos, postquam Regni gubernaculum assumpsit Lechus, sed diversimode appellatos fuisse, donec cum tempore divulgaretur fama & nomen ipsorum. Ita de nomine Polonorum asserendum est, non evasisse populare (præcipue apud extraneos) nisi admodum sero ob adductam jam rationem. Colligitur id ex epitaphio Boleslai *Chrobri* in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi sepulti, quod *Stanislaus Lubienski in serie Episcoporum Plocensium in vita Martialis Episcopi Fol.* 315. descripsit ubi legitur.

Tu possedisti velut Athleta Christi
Regnum Slavorum, Gothorum seu Polonorum.

Ubi, ne titulus τὸ *Polonorum* nondum omnibus forte notus dubium pareret, licet tanquam principalis positus esset, præmissi tamen consulto alii notiores, ne vel præcedentes tituli, malæ inrerpretationi subessent, vel hic

Polo-

Polonorum, seu *baptizatorum* devoto & pio Regi subtrahi videretur, utpote jam pluribus notus, & successu temporis cæteris præferendus; Et quod ipse, primus Rex fuerat Gentis nostræ, recenti nomine Polonorum insignitæ. Felicior quidem hæc denominatio, quam prior, Lechitarum, fuerat. Illum namque plurimæ Victoriæ ex Paganis, Prussis, Russis, Saxonibus, famosiorem reddiderunt. Et quem commendavit pietas, ac fides in Christum, eundem velut ab Hercule erectæ columnæ ferreæ in Borysthene, qua *Zula* fluvius influit, & aliæ tres pariter ferreæ in *Ossæ* rippa positæ victorem insignem tot Provinciarum publicarent, novumque titulum Regni Poloniæ testarentur. *Cromer de Orig. & Reb. Polon. lib.* 2.

PARS

PARS SECUNDA.

In qua ſolvuntur Objectiones Antilechitarum.

Illi, quibus placuit Lechum expungere ex Hiſtoria, cum Univerſali, tum Polonica, ſuarum opinionum non contemnendas adducunt rationes, quas niſi ſolvamus imperfectum opus relinqueremus. Non ſolum autem ſolvere propoſui, rationes, quæ in publicum datæ ſunt, verum illas etiam, quas ex ore aliorum didici, vel quas objici poſſe ſuppono.

SECTIO I.

Reſolvuntur dubia, ex ipſo nomine Lechi emergentia.

1. Quæ contra Lechi exiſtentiam, ex ipſo nomine exſugunt Adverſarii, ſunt ſequentia. *1mo* quod ipſum nomen *Lech* diverſimode inflexum & alteratum, teſtetur, aut novum, aut fictum eſſe. Et quemadmodum dubitari poteſt, de illis, quæ adducta ſunt hic *Part.* 1. *Sect.* 3. ita de ipſomet *Lecho*, quod aliquando extitiſſet. *2do* Quod *Lecheon*, non ſit Vox Slavica, licet plerumque in Slavico reperiatur, ſed Græca, ad Slavicæ linguæ leges, deflexa. In Græco enim λεγεών *Legeon* habetur, & juxta Slavici ſermonis proprietatem litera γ ſeu *G.* mutatur in Slavicum Г ſcilicet h. fitque *Leheon*, imo ipſum Græcum λεγεών, a Latina voce *Legio* detorta videtur. *3tio* In Slavico legitur *Leheon* non Lecheon, unde *Leh* non *Lech* derivandum eſſet. *4to* Quamvis in Slavico *Lecheon* diceretur, ſatius hoc a *Lecho* procedere deberet, quam e contra, cum nomina radicalia, debeant eſſe breviora paucioribus literis conſtantia.

2. *Ad primum respondeo.* Parcendum antiquis, quod licet quandoque diligentiam adhibuerint, eodem tamen sono, & integris literis nomina propria exprimere non potuerint. Vel quod ipsi narrantes jam nomina alteraverint, vel, quod ipsa bene prolata suis characteribus scriptores explicare, non potuerint. Sic Herodotus *lib.* 3. *cap.* 115. audivit *Radun* fluvium ad extrema Europæ fluere, ibidemque succinum colligi; sed quia narrans, pro *Radun*, *Eridanum* dixerat Græce, Herodotus poeticum esse figmentum, credidit. Errorem tamen fuisse Herodoti ostendit *Isidorus Orig. lib.* 4. *cap.* 6. & illo melius *Cluverius antiqu. Germ. lib.* 3. *cap.* 34. *&* 49. Sic exteri Scriptores pro Slavico *Berestyniec* posuerunt *Borysthenes.* Loco Slavici, *Prut.* scripserunt: *Porata*, *Sorata*, *Pyreton.*: Pro *Prypec* substituerunt *Przepest. Przypiec* &c. ut notatum est *Sarm. Europ cap.* 3. §. 15. 19. *&* 20. Sic *Serbii* diversa inflexione *Sorabi*, *Sevii*, *Sibi*, *Surgi*, dicuntur. Sic loco *Slavi*: *Slabini*, *Sclavoni*; loco *Croatæ*; *Chrobati*, *Cravati*, *Horbati*, passim audiuntur. *Lengnich Dissert. de Major. Polon.* §. 4. *Polenios*, *Pollianos*, *Bolanos*, *Polanos*, *Polonos* & Regionem *Poleniam*, *Pollianam*, *Poloniam*, esse tantum diversam inflexionem nominum fatetur, nec obstare propriæ significationi, idemque denotare contendit, quod *Polonus*, *Polonia*, licet diversimode hæc nomina exprimant Authores. Sic in Historia Regum & Principum alterantur nomina, v. g. *Popielus*, *Popel.*, *Pepelus*, *Pampilius*, *&* *Miecyslaus*, *Mezislaus*, *Miesko*, *Mezyka*, *Misyka* *&c.* Cujus causa est distantia loci magna, prolixitas temporis inter scribentes, ac viventes; diversitas Idiomatum, & quod ex mendosis scriptis, vel traditionibus colligentes historiam nomina propria annotabant, non curantes rigorosum examen vocum, modo substantia narrationis integra subsisteret.

3. Alterabantur etiam nomina propria, ex alia ratione. Cum etenim inter Scythas, Sarmatas, & Slavos, aut nulli es-

essent Scriptores, vel si fuerant, illorum opera Græce reddita fuerant, ex Græco autem in Latinum tandem translata sunt, ob diversa Κράμματα & notas, mutatis literis unum nomen diversimode alterabatur. Græcis enim desunt plures literæ: Unde coguntur alias substituere. Deest litera C. & pro Illa κ ponitur, hinc *Makedonia* pro *Macedonia* scribitur. Ideo *Svidas* literam C. apellat καππα Ρωμαΐνεόν seu *K. Romanum* licet C. plerumque proprium sonum retineat, diversum a K. Deest etiam litera V. & W. illa apud Latinos, hæc apud Slavos frequentissima, Unde *Ausonius in Monosyllabis v.* 8.

Cecropiis ignota notis ferale sonans V. Loco ipsius vel β vel ω ponitur. Hinc Βασίλικη Slavus legere potest *Wasilica* vel *Basilica*. Nota etiam η legitur ut i. & ut e. longum: ut ceteras Orthographiæ mutationes prætermittam. Hæ certe magnam alterationem in nominibus propriis caussare poterant. Sic apud *Porphyrogenitum de Administ. Imper. Par.* 2. *cap.* 9. hoc εἰς τὸ κίοβα interpres si secutus fuisset literas, & posuisset *Kyova* intelligi potuisset loqui de *Kijovia*, sed cum posuit *Cioba* pro κ substituendo C. & β legendo ut B., erroneam Scripturam Porphyrogeniti, magis confudit. Ita accidisse plurimis vocibus propriis in Historia notum est; & id in nomine *Lech*, plurimas effecit differentias. Præterquam enim Bizantini Scriptores, poterant alteratam vocem audisse, in scribendo etiam poterant illam magis corrupisse. Nam scribendo λεχος vel ληχης potuit a Latino interprete poni *Lechus*, *Lechos*, *Leches*, *Lyches*, *Lichis &c.* Unde licet colligatur *Porphyrogenitum* loco citato omni conatu voluisse exprimere nomina Propria Slavica, & Russica, & aliquorum significationes proxime attigisse, plura tamen corrupta posuit, & Interpretes in intelligibilia reddiderunt. Ut *Strubun* pro *Strumen*, *Patzinacita* pro *Pecinga*. *Napreze* pro *nadporoze* &c. Ideo Slavi, qui Cyrallanas literas acceptarunt, defectum litera-

rum Græcarum ſupplent ſuper additis apicibus plurimis, ut patet ex illorum Alphabeto, cum Græco confrontato, ubi adjiciuntur ultimo loco, in tertia linea literis Latinis quid ſingulæ ſignificent.

Græc.	A	B			Γ	Δ	E			Z	H	I	K	Λ	M
Slav.	А	Б	В	Г	Ґ	Д	Є	Ж	Ѕ	З	Ӣ	Ї	К	Л	М
Lat.	A	B	W	H	G	D	E	Ż	Ź	Z	Ymolle	J	K	L	M

Græc.	N	O	Π	P	Σ	T			Φ	X					
Slav.	Н	О	П	Р	С	Т	Оу	ꙋ	Ф	Х	Ѿ	Ц	Ч	Ш	Щ
Lat.	N	O	P	R	S	T	Uprim.	Umed.	F	CH	OT	C	CZ	SZ	SZCZ

Græc.		Υ							Ω	Ξ	Ψ
Slav.	Ъ	Ы	Ь	Ѣ	Ю	Ꙗ	Ѻ	Ѧ	Ѿ	Ѯ	Ѱ
Lat.	IOfine	Yfin.	Iteuue	IAten.	IU	IAprinc.	Odurum	IAfin.	Omag.	X	PS

Græc.	Θ	
Slav.	Ѳ	Ѵ.
Lat.	TH	Y in principio.

Prima linea habet literas Græcas, non juxta ordinem ſuum, verum juxta Alphabetum Slavicum ordinatas, ubi videri poteſt & defectus literarum Græcarum, & ſuperabundantia Slavicarum. Alter Ordo continet Alphabetum ut ordinatur a Slavis. Tertia oſtendit, quomodo ſonant literæ Slavicæ. Totidem fere ſunt literæ Dalmaticæ ac Hieronymianæ, in expreſſione tamen characteris, & in

in enuntiatione aliquantulum differunt. Unde colliges posse multum alterari nomina, si vel ex Slavico, in Græcum vel ex Græco in Slavonicum, transformentur nomina.

4. Respiciendus est quoque Genius Græcorum: quorum Authores ad vitiandas artes, & Historiam, duobus modis usi sunt. *Primo* involvendo vera, & certa ambagibus, fabulis, & diversis imaginationibus, ne cuilibet arcanum pateret. Unde *Plato lib. 2. de Rep.* faciliorem viam ad acquirendas scientias monstraturus suasit, ut pueri antequam altioribus studiis applicarentur, fabulas discerent, sine his nec Historiam, nec Philosophiam, intellecturi. *2do* Volendo Gentem suam magnificare, exterorum gloriosa facta corruptis nominibus propriis, appropriabant. Sic *Thyram* Martem apellarunt, *Synopen*, Filium Martis, quod civitas illa a viris bellicosis, Cymmeriis Scythis, extructa fuerit. Et ideo hos qui inter *Scythas*, *Thraces*, *Masagetas &c.* Slavorum Antecessores, Viri illustres fuerunt, involvendo vera fabulis, illos sibi appropriarunt. *Orpheus*, *Aristeas*, *Anacharis* jam Græci sunt, qui *Scytho-Slavi* fuerunt. *Vide lib de Orig. Ling. Pol. Sent.* 7. *No.* 6. *&* 8. *No.* 10. *& No.* 6. 14. *No.* 2. *&c.* sic arguendum de nominis Lechi diversimoda alteratione. Licet enim probabile putem, enumeratos, extra Græciam natos fuisse, Græcis tamen adscripti sunt, aut nomina eorum consulto immutata: ne alterius Gentis, & non Græcæ, fuisse viderentur. Quod vitium notavit in illis *Flavius*, *Josephus*, *Antiqu. Jud. lib.* 1. *cap.* 6., *Hi enim* (loquitur de Græcis) *posterioribus sæculis veterum locorum gloriam, sibi usurpaverunt dum Gentes nominibus sibi notis insigniunt, dumque tanquam ad suum jus attinerent, mores quoque proprios in illas invehunt.*

5. *Ad secundum respondeo.* Slavicumne a Græco, vel Græcum a latino, derivatum sit, parum interest, sufficit quod vocis significatio maneat. Eadem *Lech* significare, *Ducem* aut *Virum Strenuum.* Arbitrarie tamen videtur di-

ctum *Lecheon* non esse Slavicum, sed a Græco λεγεον derivari, & ipsum Græcum a Latino *Legio*. Quæ enim ratio probaret Slavicum a Græco, & Græcum a Latino fluere, eadem, imo potior esset, inverso ordine totum accidisse. Donec enim enerventur rationes quas adduxi *lib. de Diluvio Univ. Par.* 3. *cap.* 5. §. 14. *& sequ.* Item *lib. de Orig. Ling. Pol. Sent.* 4. *& sequ.* Persuadere mihi haud possum, idioma Slavicum posterius esse Græco, & Latino. Idem namque Ordo in prioritate linguarum servandus est, qui, in antiquitate Gentium. Sicut autem, Gens Scythica, prior est quibuscunque aliis in Europa, teste *Herod. lib.* 4. *cap.* 5. *sequ.* & *Justino lib.* 2. *cap.* 1. Ita, & idioma Scythicum sive Slavicum, prius erit quibuscunque aliis linguis Europæis.

6. Deinde omnes Gentes Europææ suam originem deducendo, pro illa ostendenda, redire tenentur ad Bosphorum, Mæotidem & Pontum Euxinum, Unde velut ex Vagina, effusi sunt populi. Hæc autem loca semper Scythæ, vel Sarmatæ, aut Slavi inhabitarunt. Prius quidem in Græcia floruerunt publicæ Scholæ, quam apud Latinos, & Slavos; linguarum tamen prioritas respicit originem Gentium, non culturam scientiarum. Licet Slavi quoque Græcis minime cedant, si non scholas publicas, sed singulares respiciamus Viros doctos. Prior enim apud Scythas vixit *Orpheus* quam apud Græcos *Homerus* juxta *Petavium de Doctr. Temp. lib.* 9. *cap.* 3. Et *Zamolxes* Philosophus, quam *Pythagoras* teste *Herod. lib.* 4. *cap.* 96. Cum ergo idioma Slavicum antiquius sit Græco, *Lecheon* Slavicum prius erit, quam *Legeon* Græcum; adeoque Græcum a Slavico, non Slavicum a græco derivabitur.

7. *Ad Tertium respondeo.* Modica alteratio *G.* in *h*: *vel h* in *ch* ethymologiæ nil prorsus obest. Hanc etenim ipsa temporum longinquitas, & diversa gentium commixtio excusat. Quis enim sponsor utrum primitive *Leh* vel *Lech* dicere-

ceretur? vel in Græco γ pro χ in quapiam voce non fuerit positum? Cum similes mille mutationes accidisse in omni idiomate probari possit; quæ tamen substantiæ rei minime præjudicant.

8. *Ad Quartum respondeo.* In ethymologia (præsertim nominum propriorum) non attenditur solum ad verba, & literas; sed ut id quod derivatur, conveniat in significatione, cum eo, a quo derivatur, quantumvis radicale constet paucioribus literis, quam derivatum. Cujus exempla dari possunt, non solum in hebraismo, sed in omni lingua, dum exponuntur nomina propria, Personarum, locorum, Gentium, &c. Quod autem deberet *Lecheon* a *Lech* procedere, non e contra; Sit sane! Idem, namque utrumque nomen significabit, & substantia rei integra subsistet: Lechum extitisse *virum fortem*, *bellicosum* vel *Ducem exercitus.* Quod si rigore Philosophico utamur, neutrum alterum præcedet, etiam cognitione: Cum enim Dux, & exercitus sint relativa mutua; Unum sine altero concipi non potest: & quamprimum cogitat quis *Legeon* exercitum significare, statim *Lech* &c. Ducem exercitus, vel *Legionis* concipere debet, alias, non conciperet exercitum, sed copias, vel turbam.

SECTIO II.

Non obstat existentiæ Lechi, quod coævi Authores, nil de illo scripserint.

1. Strictius agere nobiscum videntur Antilechitæ, quam agere possent cum debitore, dum illis Syngrapha obligatoria periret. Si namque illis ad convincendum sufficeret interpositio juramenti, & statuitio fide dignorum testium? Cur nobis idem suffragari non possit; cum adducamus testes, quos excipere nullatenus valent, *ut dictum hic Par.* 1. *Sect.* 6. *No.* 4. *sequ.* & *Sect.* 7. *per tot.* Cur autem testes

συγχρόνων volunt ſibi ſtatui? Diffidunt forte argumentis poſitivis? ad faciliora negativa recurrunt, ſperantes defuturum nobis medium defenſionis, ſi ad illa evocent tempora, in quibus ſciunt nullos fuiſſe Hiſtoriæ Scriptores. Neque tamen Victoriam canere poſſunt, quod non reſpondeamus taliter, ut quæritur, cum nec teneamur ad ea producenda, quæ in rebus etiam certiſſimis haberi non poſſunt. Si etenim hæc Regula Criſis eſſet legitima; patentiſſimus aperiretur campus Atheis, & Theiſtis, negandi primum Librum Pentateuchi, quod Moyſes Scriptor illius, non fuiſſet Coævus Creationi Mundi, Diluvio, & aliis, ibidem deſcriptis. Si autem uſque huc procederet aliquis, non amplius illi colloquendum credo. Nam qui Authoritatem ſubtrahit Divinis, quam permittet humanis? &, ſi permitteret; quanti rogo valeret illius judicium, qui arenam, adamantibus præponit.

2. Dum autem expetitur a nobis teſtimonium coævorum Scriptorum, qualium quæſo? Certe, domeſticorum, aut exterorum. Si ad domeſticos provocant? nobis, & ſibi illudunt. Petunt enim ab his dari teſtimonium, quos ſciunt nihil ſcripſiſſe. Sufficiat propoſito ſimile quid ſerviens adducere illud *Saluſtii de Bel. Catilinæ* §. 8. *Athenienſium res geſtæ, ſicut ego exiſtimo, ſatis amplæ, magnificæque fuere, verum, aliquanto minores tamen, quam fama feruntur, ſed quia provenere ibi magna Scriptorum ingenia; per terrarum orbem Athenienſium facta, pro maximis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia. At Populo Romano nunquam ea copia fuit, quia prudentiſſimus quisque, negotioſus maxime erat. Ingenium, nemo ſine corpore exercebat: Optimus quisque, facere, quam dicere: ſua ab aliis benefacta laudari, quam ipſe aliorum narrare malebat.* Idem de noſtris Anteceſſoribus dicendum, quorum manus aſueta Armis, calamos minus curabat: teſte *Juſtino lib. 2. cap. 2.* dicente. *Juſtitia Gentis, ingeniis culta, non legibus.*

3. Sed forte non deessent Poloni quoque Scriptores, si non Synchroni, saltim primæ illi ætati proximi, nisi injuria temporum manuscripta periissent, quæ, Typographiæ adhuc ignotæ, a periculo liberare haud poterant. Gloriatur *Lengnich Dissert. de Major Polon.* §. 2. & promittit adducturum pro se testes (forte *Witichindum*, *Helmoldumque*) qui torti contra intentionem suam in testimonium adducuntur, ex quibus nil certi infertur, ut patebit infra hic *Par.* 3. *Sect.* 5. *No.* 1. *& seq.* Magis faveret *Michael Cancellarius Polon. in Chronico suo.* Si illud felicior aliqua hora ex angulo extractum luci publicæ quandoque dabit. Si enim *Martinus Gallus* Scriptor sæculi XI. Continuator ipsius, a Piasto incæpit? Certum est, illum de Origine Gentis nostræ tractasse. Majorem certe fidem mereretur *Witichindo*, cum hic scripserit aliena, ille sua. Et licet certo asserere non possumus quod de Lechi origine scripserit, indubitatum tamen est contrarium non scripsisse; Alias *Martinus Gallus* Continuator Illius, a sententia *Michaelis* recedere nolens, vel Ipsum refutasset, vel illius dogma sequendo Lechitas negasset, quod tamen fecit minime.

Pro nostro tamen Historico acceptare possumus *Diocleatem* sæculi XI. Scriptorem, & *Marulum*, Slavos: qui primordia nostræ quoque Gentis attigerunt, ut dictum *hic Part.* 1. *Sect.* 4. *No.* 3. Nostri autem Chronologi, quamvis tempore sint posteriores, æquarunt tamen diligentia, candore, ac sinceritate, quoscunque alios. Non enim illius causa melior, qui testes plures habet, sed qui probatiores; non qui auritos, sed qui oculatos, vel diligentes rerum Scrutatores.

4. Prætendent Antilechitæ saltim extraneos Scriptores, qui de Lecho innuant. Nonne resoluto omnia negare, ut ipsi soli credatur, præsto aderit ratio usitatissima antiquos nil præter sua scivisse, exteros vero tanto magis errasse, quod relata, nec ulla indigenarum traditione confirmata,

ſcriberent. Si Recentiores adducentur? domeſticis negans authoritatem, facilius ſubtrahet extraneis. Et ſicut principalis Adverſariorum ratio eſt, quod Poloni Lechum finxerint, ac erraverint: eadem militabit contra extraneos, dicendo facile aberraſſe, quod cæcos Duces ſibi prælegerint. Interea teſtes de Lechi exiſtentia videri poſſunt *hic Par.* 1. *Sect.* 6. *No* 4. quos ſi non ut coævos Authores, tamen ut Viros non fluxæ fidei, aſt integros, & compenſantes diligentia temporis longinquitatem per ſeriam monumentorum, ac traditionum inquiſitionem, revereri tenemur. Sed quoties noſtros Hiſtoricos citamus, clamant illico Antilechitæ, non credendum illis, quia Recentiores ſunt. Non credendum Dlugoſſo? Cromero? quod Recentiores ſint? Ergo tanto minus credendum Antilechitis, quia noſtris Scriptoribus, non tantum Recentiores ſunt, (ut patet ex eis quæ adduximus *hic Par.* 1. *Sect.* 6. *No.* 4.) ſed inferiores, cum tempore, tum diligentia, & authoritate.

5. Quod extranei Hiſtorici nil ſcripſerint de Lecho rationem eandem adducere poſſumus, quam *Flavius Joſephus lib.* 1. *Con. Appionem.* Quod Gens noſtra utpote mediterranea, procul a mari habitans, nulla commercia cum extraneis habens, innoteſcere illis haud potuerit. Et circumfuſa Gentibus Slavicis, pariter literas neſcientibus, illis monumenta ſua credere non valuit. Sero nimis laceſſiti, & ad bella contra exteros advocati, ſub nomine Slavorum innotuerant. Illi vero qui Regna fixa formare tentarunt, Domeſticis attendendo, & Securitati ſuæ providendo, humanioribus literis non applicabantur. Porro fruſtra prætenditur a Synchrono Authore teſtimonium, cum Gens quælibet, circa ſui primordia, utrum ſedem jam fixerit, & duraturum Imperium incæperit? ignoret. Suſpicatur tunc quilibet, utrum poſſeſſa retenturus ſit? qui nuper advenit; an non exturbandus poſtridie, qui hodie triumphavit; & ideo noluerant dubia pro certis affirmare; & mox peri-

peritura, pro firmis. Permittunt igitur Historici res suo ordine pergere, scientes, quod traditio fixa, & de ore, ad os, transmissa notitia, suppletura sit defectum scripturæ. Nec ipsam Gentem permissuram, suos Antecessores, ac Fundatores, memoria prorsus excidere. Recrudescunt tandem neglecta, postquam bella socialia, pacta, commercia, notiores exteris fecerint populos, & fama Gentis, gloriam sensim divulgaverit, cum tempore augendam.

6. Authores qui sæculum sextum scriptis suis illustrarunt præcipui numerantur inter Græcos quatuor. *Procopius*, *Agathias*, *Menander Protector*, & *Constantinus Porphyrogenitus*. Verum, hi sicut Historiam Universalem non scripserunt, ita omnium Gentium facta, connotare obligati minime fuerunt. *Procopius* circa annum Christi 550. scripsit *Historiam Arcanam de Gestis a Justiniano*, & Bellis ab ipso susceptis. *Agathias Scholasticus* continuavit eandem materiam, circa annum Christi 590, & ubi *Procopius* desiit, ille incæpit. *Menander Protector*, sub Mauritio Imperatore particularem Historiam scripsit ad finem sæculi VI. *Vossius de Histor. Græc. lib. 2. cap. 23.* Constantinus Porphyrogenitus remotissimus Scriptor a prædictis librum composuit de *Administrando Imperio* circa Annum Christi 949. Horum autem omnium scopus alius fuerat, describendi tantum particularem Historiam, statum Imperii Romani concernentem. Quia vero & Regio Polona a limitibus Romanorum, (tanto magis a Byzantio) distabat, & materia fundati a Lecho Regni intento illorum non cohærebat; & ex remotis oris, vera notitia haberi non potuit, minime obligati fuerant, proposito suo minus servientia, nec a certo nuntio approbata, describere; integritate famæ, & realitati suæ attendentes. Non tamen simpliciter tacuerunt, & quantumvis in individuo facta non descripserint, genericis tamen terminis insinuarunt, describendo victorias Slavorum, enumerando vicinarum terrarum per eos possessionem, civitatum, ac Provinciarum a Ro-

mano Imperio avulſionem, & novorum Regnorum ac Principatuum erectionem: ſub quibus terminis etiam Principatum Lechi comprehendi recte inferre poſſumus.

7. Scripſit quoque eodem ſæculo *Jornandes* Gothus Epiſcopus Ravennas Hiſtoriam Gothicam, quando extincto Regno Gothorum, Belliſarius *Vittigem* Regem Gothorum Ravennæ cæpit, & Conſtantinopolim deduxit. In uno tamen Libro tractat ſolum de ſucceſſione Regnorum: in altero geſta Gothorum deſcripſit. Si utrique operi non adſcripſit Lechum, non mirandum, cum intento illius, naratio hæc non quadraret, & Hiſtoriam ſolum ad annum 550. perduxerit, vel ut alii volunt ad annum 552. Et licet forte non ignotus fuerit illi adventus Lechi in has oras, & Regni fundatio, expreſſam tamen notitiam facti, modico ſat tempore habere non potuit. Quæ tamen confuſe didicit, ſub generalibus terminis annotare non neglexit, *lib. de Reb. Get. circa princ.* cum agens de Vinidis ſubjungit. *Quorum nomina, licet nunc per varias familias, & loca mutentur, principaliter tamen Slavini, & Antes vocantur.* Ubi cum Provincias ab illis inhabitatas deſcribit, locum Poloniæ modernæ non obſcure attingit. Hoc autem genericum teſtimonium de fundatione Regni noſtri a prædictis Græcis Authoribus, & Jornande datum ſufficere debet, cum majus & expreſſius prætendi non poſſit. Et licet non concludat expreſſe, hoc determinatum tempus eſſe, quo Lechus venerat in iſtam Regionem, teſtimonia reſpicere: nec tamen in contra poteſt formari argumentum: Synchronos Authores primam fundationem Regni noſtri prorſus tacuiſſe. Nemo etenim dicere poteſt, a longe aſpicientem, nil videre, qui fatetur ſe opus turritum videre, licet non determinet, quadratum ne ſit, an rotundum?

8. Nullus autem tam rigoroſus unquam fuit Criticus, qui rem ſæculis remotam jubeat probari teſtimonio coævorum Scriptorum, quoad individua temporis, & circum-

ſtantia-

ſtantiarum. Quod namque Regnum vel gens tam felix erit (niſi nunc primum naſcantur) ut tales teſtes habere valeat. Romæ principia, & quæ ab urbe condita ſub Regibus, deinde ſub Conſulibus, Dictatoribus, Decemviris, & Tribunis Conſularibus, geſta ſunt, nullum oculatum habent teſtem. Nemo tamen negat Romulum extitiſſe, & Urbi ac Reipublicæ fundamenta jeciſſe, licet ſoli traditioni innitantur poſterius ſcripta, & adeo obſcura ſint. *Velut, quæ ex magno intervallo loci vix cernuntur: tum quod perraræ per eadem tempora literæ fuere, una cuſtodia fidelis, memoria rerum geſtarum.* Inquit *Livius lib. 6.*

9. Ampliorem notitiam non ſolum Polonæ Originis, verum etiam deductionem rectam, a primitivis Scythis, Sarmatis, & Slavis haberemus, ſi ad manus noſtras omnia quæ ſcripta ſunt deveniſſent. Licet namque rudiſſima fuiſſent tempora, & in conſcribendis præclare geſtis, vel negligentia torperent, vel occupato armis populo, mens alio abriperetur. Non defuere tamen, pauci quidem, ſed diligentes Scriptores, quorum labores interierunt. Deplorant alii damna antiquitati armis illata, nos tamen juſtiori titulo lamentari poſſumus, quod Protoparentum noſtrorum memoria interierit, tanto juſtius, quanto poſterius didicimus, quanti valeant literæ, & monumentorum conſervatio. Non amplius comparent *Cyprii* & *Timotai* Φρυγιακά; *Agathonis Samii* & *Cteſippi* Σκυθικὰ, quorum meminit *Plutarchus lib. de Fluminibus.* Ex *Stephano* ſive *Hermolao* diſcimus *Critum* ſcripſiſſe Γετικὰ; Demoſthem Βιθυνιακά &c. Ex quibus illuſtrari poſſet Hiſtoria Scytho-Sarmato-Slavica, & glorioſe geſtorum (ſi poſteriorum quoque integra ſcripta haberemus) ad nos uſque deduci poſſet Chronologia. Fragmenta tantum apud nonnullos reperta, inſinuant, quæ licite inferre, & ſequi poſſemus.

10 Argumenta vero negativa Adverſariorum, parum nos conturbant, ipſis autem minime ſuffragantur. Si enim

ſilentium Authoris ſufficeret ad probandum, non contigiſſe defacto, quod ſcriptum non eſt: poſſemus deſipere cum *Iſaac Voſio Differt. de ætate mundi* & *Epiſt. ad Andream Colvium*, & dicere, ante Diluvium homines in ſola Meſopotamia habitaſſe, cum Moyſes iſtius tantum Regionis Incolarum meminerit. Suadet tamen aliud ratio, totum Orbem inhabitatum fuiſſe, cum longævitas hominum, robur vigens, fæcunditas per annos 1700. conſtans, imperceptibile reddat, quomodo una Regio tantos populos, & fæcundiora hominibus animalia, alere potuiſſet. Ut deduxi *de Diluvio Univerſ. Tom. 1. Par. 2. cap. 17. Flavius Joſephus* licet accurate ſcripſerit Hiſtoriam ſuæ Gentis, plura tamen omiſit, quæ in S. Scriptura habentur: & e contra multa refert, quæ ibi deſiderantur, non tamen, ex omiſſis infert quiſpiam, illa non extitiſſe.

II. Multa etiam excidunt particulari Scriptori, quæ referuntur ab alio; aliquando etiam ex propoſito omittuntur; Sic LXX. Interpretes multos Scripturæ textus in Græca translatione, aut aliter interpretati ſunt, *aut omnino tacuerunt, ut & Regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent* inquit *S. Hieron. Præfat. in Pentateuchum ad Deſiderium*. Scriptor libri primi & ſecundi, Machabæorum, uterque Ejuſdem Gentis fuerat, eandem materiam præ oculis habuit, ambo ſibi Coævi. Unus tamen Martyrium *Eleazari*, ſeptem Filiorum, Matris unius, *Raziæ* zelum &c. omiſit. Alter ſuccincte tantum bella Machabæorum narravit. Forte quod primus fortitudinem in bellando, alter in patiendo commendare propoſuerit. *Polybius* autem utrique Scriptori coævus, & Aſiatica bella ex propoſito deſcribens, nec mentionem quidem Machabæorum fecit. Putans bello Cælo-Syriaco quod gerebatur inter Antiochum M. & Ptolomæum Philopatorem non debere inſeri extraneas Victorias, quæ cum bello prædicto connexionem non habuerunt. Ut recte ſentit *Joan. Dominicus Manſi in Præf. ad*

Dicſion.

Diction. Lat. Calmet. Cæſos Hunnos anno Chriſti 518. a Cabade Rege Perſarum, ob perfidiam erga Juſtinianum, teſtatur *Paulus Diaconus lib.* 15. cujus excidii nunquam meminit *Procopius.* De Bellis Regum Dalmatiæ, nec innuit *Diocleates*, quæ deſcripſit Porphyrogenitus, ut advertit *Cangius de Familiis Dalmat. & Slav. cap.* 3. Idemmet etiam *Porphyrogenitus* nec inquiſivit Patrem *Porgæ*, ſed anonymum poſuit *lib. de Admin. Imp. cap.* 31. Cujus defectum *Joan. Lucius* emendavit. Vide *ſupra, hic Par.* 1. *Sect.* 5. *N.* 8. & 11. Non ergo ſtatim inferendum, hoc, vel illud eſſe fictum, quod de illo coævus Author non ſcripſerit. Sed, neque Hiſtoria finem ſuum conſequeretur, ſi illa tantum pro veris acceptarentur, quæ apud Synchronos reperiuntur. Expungeretur enim a Hiſtoria vel τὸ χρήσιμον id eſt *utile*, vel τὸ τερπνόν id eſt *jucundum*, ſine quibus Hiſtoria admodum ſicca, & jejuna evaderet. Timor namque impediret Scriptores, ne mendacii arguantur, ex hoc ſolo fonte, quod narrent de illis, quibus non convixerunt. Licet non negem, certiorem deberi dari fidem (ceteris paribus) Synchronis authoribus, quam remotis.

SECTIO III.

Objicitur Lechum non potuiſſe regnare in Polonia, ex eo, quod Slavi non ſolerent habere Reges vel Principes.

1. Agendum in præſenti Sectione de Titulo, & Jurisdictione Regia. Antilechitæ ſumpto Argumento, ab aliis Slavis, etiam Polonis illud applicant. Dicunt autem, quoniam Slavis nullus Rex ex antiquo fuerat, ergo neque Lechus regnare in Polonia potuit, cum imperceptibile ſit, unam tantum Slavicam Provinciam, a cæteris omnibus in hoc ſolo degeneraſſe. Probant autem id ex Flavio *Joſepho lib.* 2. *cap.* 16. *de Bello Jud.* *Quid autem pergam enumerare*

rare Heniochos, & Colchos, & Tauronii Gentem, Bosphoranos quoque, & habitantes circa Ponti littora Nationes, Mæoticasque Gentes? apud quas nimirum, olim, neque domesticus aliquis Dominus noscebatur? nunc vero &c. Idem disertius de Slavis testatur *Procopius de Bel. Get. lib. 3. cap. 14.* Qui illis populare regimen tribuit. Idem fatetur *Porphyrogenitus cap. 29.* Qui tractans de Slavis dicit: *Principes (ut ajunt) hæ gentes non habebant præter Zupanos Senes, quemadmodum etiam reliqui Slavorum populi.* Simile quid adfert *cap. 38.* de *Chazaris* & *Turcis* qui antea dicebantur Σαβαρτάσφαλοι *Sabartasphali* utrique populi ad Sarmatas pertinentes, quod Principem non habuerint, *sed erant inter ipsos Boebodi quidam.* *Helmoldus* quoque idem affirmat *Chron. Slav. lib. 1. cap. 2. Altera insula longe major est contra Wiltzos posita, quam incolunt Rani, qui & Rugiani: Gens fortissima Slavorum, qui soli habent Regem.* Si igitur nulli Reges Slavis, etiam Polonorum Lechus, fictus tantum Rex fuerat.

2. Si de nomine tantum agitur? non disputo, Regis nomen non omnibus concessum fuisse. Si autem de forma Regiminis, sub uno supremo capite? vix credibile, Reges & Principes non fuisse. Quomodo namque administrari potuisse tot Provincias a Slavis, percipiemus? nisi illis quempiam Ducem, vel Principem, concedamus. Quis ordo esset in populo? quæ justitia? quæ vis ad impugnationem, & defensionem? nisi esset qui bella indiceret, pacta componeret, tributa reciperet, ex quibus necessaria plebi providerentur. Verum quidem, frequenter Slavi populariter regebantur: non tamen sine Duce ac Principe. In hoc tantum ab aliis Gentibus differebant: quod per capita Familiarum gubernarentur: tempore vero expeditionis unum Ducem eligebant, qui omnia negotia tractaret. Sed quia excursiones erant in remotissima, iidem Duces, & Reges, quandoque advitalitii fuerant. Et his decedentibus, alii eligebantur. Tandem factum, ut

ut ab expeditione redeuntes, aut novam Provinciam acquirentes perpetuos Principes haberent, qui vel Parentibus ſuccedebant, vel a populo liberis votis eligebantur. Ut patet in Gothis, Longobardis, Wandalis &c. Regum tamen poteſtas erat limitata, ut refert *Tacitus de Morib. Germ. cap.* 2. 2. De Germanis quidem ſcribit, quod Slavis proprium erat juxta dicenda infra, hic *Part.* 2. *Sect.* 5. Quod Principes nil determinarent ſine populo, minora tamen per ſemetipſos reſolvebant.

3. Quæ a *Joſepho* referuntur, nil prorſus roboris habent ad propoſitum. Verum quidem probant nonnulli Gentem Slavicam ex Sarmatia Aſiatica, & a Colchis, ad Pontum primo, deinde ad viciniora Europæ migraſſe. Unde inferri poſſet, ſicut a principio, ita poſtmodum Reges non habuiſſe. Verum tamen, ſicut cum tempore mutantur ingenia, ita & formas Regiminis mutari neceſſe eſt. Adeoque licet primitus Duces non habuerint, poſtmodum tamen ſine illis migrationem inſtituere non potuerunt. Deinde, *Agrippa* (cujus orationem ad Judæos ſuo operi inſcripſit *Joſephus*) optime quidem peroravit, & nil omiſit, quæ ad conciliandos Romanis animos Judæorum ſervire potuiſſent. Egit tamen oratorem ſatius, quam Hiſtoricum, vel Geographum, ac ideo alia minuit, quædam exageravit, ut materiæ ratio exigebat, quæ tamen aliter ſe habuiſſe oſtendetur *hac Sectione num.* 4. Videndum quoque & bene advertendum, utrum tempus, quo *Agrippa* peroravit, conveniat cum tempore, quo Lechus regnavit? Inveniemus defacto, inter hoc, & illud, aliquot ſæcula interceſſiſſe. Imo Agrippa ipſe indeterminatum tempus poſuit, addendo τό *olim*: memorans, ævum ſuum multa præceſſiſſe tempora, quando Scythæ circa *Phaſim* & *Pontum* non Monarchice, ſed Democratice regebantur.

Helmoldus autem præ oculis habuit Slavos Orientales quorum plurimi unam formam Regiminis poſt emigrationem

Wandalorum, *Longobardorum*, *Burgundiorum* habuerunt, regique consueverunt democratice per Dynastias, & Toparchias, ad Anarchiam potius, quam ad regularem formam inclinantes; ideo, quod, cum imbecilles domi remanserint, nec ab exteris timerentur, nec illi timerent. Licet antecedenter tam illi, quam hi, Regibus ac Principibus suis parere didicerint. Hoc autem demonstrare non erit difficile, si ea quæ dicta sunt superius hic *Par.* 1. *Sect.* 1. in memoriam revocemus: Scilicet Scythas primo, deinde Sarmatas, tandem Slavos, ad Pontum Euxinum præcipue habitasse, ubi sub Regibus vivebant, & ex his oris per maximam Europæ partem diffusos, primos Rhenum versus promotos fuisse, ut probatum est *in Sarmatia Europæa per totum.* Quamvis per potentiam Græcorum, ac Romanorum, ac ultimo Germanorum, non solum Reges illis adempti, Verum nomina alterata, & virtus non nihil suppressa fuerit. Ita ut non Sarmato - Slavi, sed Gentes distinctæ, diversis Imperiis incorporatæ, esse viderentur.

4. Et quidem ante Josephi tempora, plusquam sexcentis annis, (quando Scythæ vulgo dicebantur) proprios Reges & Principes habuerunt. Nam *Medocum* apud Odrysas, & *Mesadam* & *Tereum* apud Thracas regnasse meminit *Xenophon de Exped. Cyri. lib.* 7. Sociale bellum a Scythis contra Darium ad defendendos limites Patrios susceptum, describens *Herodotus lib.* 4. *cap.* 119. In illud consensisse dicit Reges Scythicos *Taurorum*, *Agathyrsorum*, *Neurorum*, *Androphagorum*, *Melanchlenorum*, *Gelonorum*, *Budinorum*, & *Sauromatarum.* Meminit quoque *eodem Libro Idanthyrsi* & *Saulii* Regum Scythiæ *cap.* 76. *Spargapithis* Regis Agathyrsorum *cap.* 78. *Scyllis cap.* 80. *Octomasadis*, *Ariantanis*, *cap.* 102. Antequam a Ponto migrassent *Sitonii*, Reges habuisse proprios, qui cum Getis bella gerebant, illisque in intimiora Europæ cedere debuerant, colligitur ex *Ovidio de Ponto Eleg.* 7. *V.* 24. *canente.* *Urbs*

Urbs erat in summo Nubibus æqua jugo
Sithonia Regi, ferus interceperat illam
Hostis, & ereptas Victor habebat opes.

Sed & Coævus Josepho *Seneca Epist.* 80. testatur Scythas & Sarmatas proprios Reges habuisse dicens, *Vides illum Scythiæ, Sarmatiæque Regem, insigni capitis decorum? Si vis illum æstimare, totumque scire, qualis sit? fasciam solve, multum mali sub illa latet.* Ubi vides non solum Dynastas fuisse, verum diademata (insignia Regum) portasse.

5. Apud antiquos *Marcomanos*, & *Quados* ubi nunc Moravia Silesia, ac Bohemia dicitur, meminit *Tacitus Marabodui* & *Tudri*; qui ex Familia Regum procedebant. *Jubilium* apud Hermunduros regnasse: *Catualdam* & *Vannium* Regno Patrio exauthoratos fuisse, scribit *idem Annal. lib.* 2. *cap.* 63., & *lib.* 12. *cap.* 29. *de Morib. Germ. cap.* 7. 9. 43. *sequ.* *Agathias* etiam *Scholasticus* inter Gentes Hunnicas meminit Regum *Tamergani*, sive *Zabergani* apud Cutringaros, & *Saldinchi*, apud Utriguros. Notissimi sunt, vicinis Lecho temporibus Reges *Longobardorum*, *Vandalorum*, *Gothorum*, *Wisigothorum*, *Ostrogothorum*; sed & Imperium Occidentale depressum rexit non modico tempore *Odoacer* Rex Herulorum, ut colligitur ex *Procopio Hist. Wandal. lib.* 1. & 2. Et ex *Paulo Diacono de Gest. Longob. lib.* 1. *cap.* 1. Quem ex Russia ortum fuisse dicit noster *Dlugossus Hist. Pol. lib.* 1. Russorum Regis *Inger* meminit *Luitprandus lib.* 1. *cap.* 3.

6. Porphyrogenitus citatus sat clare se explicavit Textu *No.* 1. *citato*, ex aliorum tantum relatione, scripsisse de Slavis, interponendo (*ut ajunt*); Tamen pluribus in locis inter Gentes Slavicas Reges ac Principes fuisse fatetur. Eodem namque *cap.* 9. paulo inferius, dicit: Chrobatas Principes suos habuisse. *Atque ex eo tempor* (scilicet regnante Basilio) *in hodiernum usque diem Principes ipsis ex eadem stirpe, non aliunde eliguntur.* Quod quidem de Chro-

batis Dalmatis intelligendum. Nam Chrobatæ Albi, five *Bilo - Chrobati* qui ad Montem Carpatum Vicini Germanorum & modernæ Poloniæ limitibus habitarunt. Βόϊκοί *Boiki* vel *Woyki*, a continuis præliis dicti. Et quod Imperatoribus femper auxiliares fuerint, proprios Principes femper habebant: tefte eodem *Porphyrogenito cap.* 30. *Chrobati Albi qui proprio Principi fubjecti funt*, & infra de Chrobatis, Dalmatis habet, *Pars quædam feceffit in Illyricum, atque Pannoniam occupavit, habebantque & ipfi Principem fupremum, qui ad Chrobatiæ tantum Principem amicitiæ ergo legationem mittebat.* Illi autem Slavi Chrobatæ, qui partem Dalmatiæ Mediterraneam obtinebant, (nam Maritimas civitates Romani tenebant) undecim *Zupanias* feu Regiones inhabitatas habebant, corpus unum Reipublicæ fupremo Principi fubjectum obtinebant. Jam vero *cap.* 32. *Serblis* feu *Serviis* Principes præfuiffe teftatur. Abarorum Regis *Bajani* alibi meminit. Ruffis quoque imperaffe *Sphendofthlabum* & *Inger* Filium ejus ad *Danaprim*, *Nemogardæ & Ciobæ* (fcilicet in *Nowograd* & *Kijoviæ*) Idemmet *de Admin. Imper. Par.* 2. *cap.* 9. fcribit. Sed & *Theophilactus lib.* 7. *cap.* 7. fub Juftiniano apud Hunnos, *Abares*, *Chaganum* Regem fuiffe meminit. Non folum ergo apud diverfos Slavos, fed in vicinia quoque modernæ Poloniæ, circa tempora Lechi, Reges & Principes dominatos fuiffe, certum eft.

7. Unicum effugium Antilechitis noftris fuffragari aliquatenus poffet, quod prædicti Reges enumerati, non Slavorum, fed aliarum Gentium Principatum gefferint. Imo illi Principatus non formam Regiminis fupremi habebant, aft folum Toparchiæ quædam, & *Zupaniæ* dici poterant ob fuam arctitudinem. Quod confirmari poffet exemplo *Acumi* de Gente Hunnorum a Juftiniano e Sacro Fonte levati, quem *Cedrenus* Regem Illyrici fuiffe fcribit, *Theophanes* autem non nifi Magiftrum militiæ per Illyricum extitiffe contendit. Sed omnes prædictas Gentes Slavicas fuiffe non amplius repetendum. Nemo enim prætendit

tendit hos tantum *Slavos* esse, qui etiam nunc Slavi appellantur. Nisi perperam Veritatem omnibus notam vellet negare.

De appellationibus etiam qualiter dicti fuerunt illi supremi Ditionum suarum Gubernatores, minus est, sive appellemus Imperatores, sive Reges, Principes, Dynastas, Zupanos idem est, & ejusdem momenti. Nomen etenim βασιλεῦσαι, antiquitus latissime patebat, & tam Reges, quam Præfectos æqualiter significabat. Imo quandoque Patres Familiarum βασιλεῦσαι dicebantur. Hinc *Justinus lib. 36. cap. 2.* Abrahamum Regem Damasci appellat. Licet, qui ampliorem habuerant Jurisdictionem communius Regio titulo donarentur, teste *Salustio Bel. Catil. §. 2. igitur initio Reges (nam in terris nomen Imperii hoc primum fuit).* Neque tam rigorosa fuerat distinctio titulorum apud antiquos quemadmodum apud modernos, imo nec haberi potuit, cum nomina ad placitum hominum, sicut imponuntur, ita explicari possunt. Præcipue autem in barbaris vocibus explicandis, hæc licentia datur, modo significato non contradicat. Unde Americanos, *Kazykos*, *Ingas* &c. sive Principes, sive Reges, dicamus, perinde est, modo per nomina illa intelligamus, supremos suæ Ditionis, vel Gentis, Gubernatores. Sic Lechum, sive quis Principem, sive Regem, sive supremum Zupanum Lechitarum, dicat, per me licet; modo a proposito in explicatione tituli, non aberret, nec verba ad contrarium sensum trahat.

SECTIO IV.

Solvuntur Objectiones circa adventum Lechi ex Dalmatia, sive Croatia.

1. Quæ superius dicta sunt de adventu Lechi *Part.* 1. *Sect.* 8. probabilius illum venisse ex Dalmatiæ aliqua Provincia, & probabilissimum ex Croatia: videntur jam impugnata esse *a Cromer. de Orig. Polon. lib.* 1. *cap.* 2. & 4.

Dicit namque hic præclarissimus Author, Slavos non fuisse Dalmatas, adeoque cum Lecho in Poloniam non venisse. Principalis illius ratio hæc est. Quod nomina urbium ut *Segesta*, *Delminium* &c. & fluviorum *Naron*, *Saug.* &c. populorumque *Liburni*, *Dardani*, *Tribulli* &c. Ut legimus in Ptolomæo, nullam connexionem habent cum Slavico idiomate. Postea vero appellationes *Jaice*, *Zagrabia* &c. nomina Slavica locis fontibus ac Personis indita, prima fronte apparent esse nova. *Secundo*: quod Slavi sub Justiniano, primum in Dalmatiam venerint, antea vero ibidem non fuerint. *Addi potest 3tio*: quod Croatæ ante Lechum Fidem susceperint, adeoque & Lechus, non Paganus esse debuerat, cujus tamen contrarium certissimum est.

2. Verum quidem est nomina Populorum, Fluminum & Urbium prout a Ptolomæo ponuntur, Latina esse, non Slavica. Ex hoc tamen solo inferre non possumus Slavos ibidem non mansisse, sed præterea determinandum esset, si Slavi ibidem non manebant, quinam Populi erant Indigenæ? Non Græci, id enim nemo unquam dixit. Non Gallo Græci, hi etenim ibidem non substiterunt, sed vastata Regione in Bithyniam recta perrexerunt (*Strabo lib. 2. & lib. 12.*) paucis admodum in Pannonia remanentibus. Romanos etiam Originarios Incolas dicere non possumus, cum illi postremi, multo sudore Illyricum vicerint. Antiqui autem populi in illis Oris fuerant, *Wardæ*, *Scordisci*, *Ugri*, *Abares*, *Hunni*, *Pannones*, *Istrii &c.* Licet nec hi uno semper loco substiterint: Sed ut quisque potentior erat alium expellebat, ipseque expellendus aliam Provinciam respiciebat, in quam se impugnatus reciperet. Qui enim continuas populorum migrationes primis illis temporibus novit, unam gentem, pluribus in locis, successive consedisse, reperiet.

3. Verum si nomina a *Ptolomæo*, *Plinio*, *Stralone*, *Mela*, posita recte expressa, & non alterata fuisse sciremus, assen-

tiri

tiri possemus, sicut nomina vere Latina sunt, ita Latinos populos, ibi sedisse, & hæc ipsa locis fluminibus &c. indidisse minime dubitaremus; Scimus tamen, (saltem nonnulla) aliter dicta esse populariter, aliter ab antiquis Geographis expressa, ut vix aliquando, & ne vix quidem, cum originali conveniant. Sic *Tibiscus*, *Cissa*; *Vadus*, *Warzec*: *Rubo Dzwina*; *Pyreton Prut*: *Cronon Niemen*; *Hyppanis Boh*; Fluvii Slavici appellantur uno nomine cum altero minime conveniente. Asserrere tamen non possumus tales Populos ibidem primitus sedisse, quorum Idiomati proximiora sunt prædicta Nomina. Sufficit, quod in quibusdam primitivæ appellationis reperiamus vestigia, ex quibus cetera inferre possumus.

4. Et sic *Istrios* omnes fatentur dictos ab *Istro* quod primi Incolæ, (ut fabulantur Græci Argonautæ) ab *Istro* venerint; *Ister* autem extrema Pars *Danubii* dicebatur, quæ incipit a Cataractis prope *Axium* civitatem Myssiæ, usque ad Ostia illius, quod labens e rupibus pendere videretur. Unde Slavice *Wister* seu *pendens* dictus fuerat. Antiqui Slavi illum *Matoam* sive *Matrem* dicebant, quod illos aleret, & ab Incursionibus defenderet. Ita *Hunnos*, & *Pannones* Slavice dictos probare possemus. Hæc enim nomina *Kan*, *Han*, *Pan*, variante inflexione idem significabant, quod *Dominus*. *Scythæ* igitur qui se *Basilides* sive *Regios*, & aliorum Dominos appellabant, (juxta *Herodotum lib.* 4. *cap.* 19. *&* 20. *Trans Gerrum autem ea quæ vocantur Regia*, *&* *Scythæ optimi*, *pariter* *&* *plurimi*, *&* *qui suos Servos ceteros esse Scythas arbitrantur*, a Ponto in hæc loca venientes *Caghani*, *Hunni*, *Pannones* vel *Pannonii*, appellati sunt. Nomina ergo antiquissimorum Populorum Dalmatiæ, licet videantur non esse Slavica, sunt tamen; sed adeo alterata, ut Slavismus prorsus suppressus videatur. Idque primo factum erat a Græcis, deinde a Romanis, qui Genio Græco viventes, excogitatis nominibus suis, antiquas appella-

tiones

tiones locorum suppresserunt. Vide de hoc citatum *Joseph. Flavium hic Sect.* 1. *No.* 4. Hinc *Spalatum* Slavice *Split*, *Salonæ* Slavice *Czernisz*, *Segestum* Slavice *Sissak Skordona*, Slavice *Kessa*, *Stymonium*, *Mieza* antea dicebantur; juxta *Moletium* & *Lucium* quæ tamen prævalente potentia Græcorum, & Romanorum, peregrinis nominibus apud Authores annotari cœperunt, obolitis, & neglectis originalibus.

5. Prodit se tamen ex occulto Slavismus, saltim in nonnullis urbium nominibus. *Polæ* meminit *Plinius lib.* 3. *cap.* 19. quam antea *Colchim* fuisse appellatam dicit; *Glissæ Jaderæ cap.* 21. *Salonam*, *Rizinium*, *Olchinium* &c. ponit *cap.* 22. Additque *præterea multorum Græciæ Oppidorum deficiens memoria*, *nec non* & *civitatum validarum.* Si muri collapsi, quantum robur nominibus exposcimus, ut vetera Slavica integra nomina requiramus. Mutati Cives Slavi, succedentibus Græcis, Romani totum alterarunt. Sicut autem ex recentioribus appellationibus Latinis infert Cromerus, in Dalmatia Slavos non fuisse. Ita ego inferrem, quod nullibi terrarum fuerint. Cum apud *Ptolomæum*, *Plinium*, *Strabonem* puræ tantum Latinæ, vel Græcæ appellationes habeantur, & Gentes, quarum nec memoria subest, nec nomen amplius intelligitur. Si a Latinis Geographis nomina propria Gentis nostræ expetamus, nullum vestigium in toto Regno Poloniæ inveniemus, Slavos hic aliquando habitasse. Cum ea, quæ apud *Plinium lib.* 4. *cap.* 12. (præter Vistulam) cetera omnia Gentium, Fluminum, civitatum nomina, nil Slavici, (plus Græci & Latini) referant. Sed & ipsa nomina cum urbibus dudum interierunt.

6. Consultum his Gentium consensu, ut nomina quidem magnifica, & recenter nata, Authores suis scriptis vulgarent, Patria vero & originalia populus memoria retineret, & de ore in os posteris traderet. Taliter accidisse

urbi-

urbibus, Fluminibus &c. monumentis Dalmaticis credendum. Unde contigit, ut quemadmodum Insigniores Personæ binomines erant, secundum dicta, *hic Par.* 1. *Sect.* 5. *No.* 8. *sequ.* Ita quoque locorum nomina duplicia fuerint; alia a Romanis, & Byzantinis Scriptoribus usitata, alia memoria populorum retenta. Illa Latina, vel Græca, ut *Segesta*, *Delminium* & alia Slavica, ut *Prewal*, *Zagrabia Jayсza*, *Zanta*, *Cluz*, *Cremen*, *Jablanez.* Ut autem convinci possimus, Slavos in Dalmatia ante Ptolomæum &c. non mansisse, probandum esset, nomina apellativa Latina, antequam Romani terras illas possedissent, fuisse ibidem usitata. Quod si non deducatur? secure dicam nomina Slavica, Romanis esse antiquiora, & melius in memoria Incolarum conservata, quam Latina in codicibus.

8. Notandum vero Slavos dupliciter sumi posse, vel secundum nomen, vel secundum Genus. Si nomini attendamus, facile concedimus, si non ante Justinianum, ut dictum *hic Par.* 1. *Sect.* 8. *No.* 7. saltem sub Justiniano hominibus innotuisse. Si autem Genus illorum respiciamus, nulli priores in Europa inveniri poterunt præter illos, sub nomine tamen Scytharum adhuc latitantes, juxta dicta *Sarmat. Europ. cap.* 2. Scythas autem Sarmatas, & Slavos, aliosque populos ab illis ortos & diversimode appellatos, idiomate, & moribus convenisse, ostendi *lib. de Orig. Ling. Pol. Sentent.* 3. *&* *Sarmart. Europ. cap.* 8. Si enim credimus *Epiphanio in Ancorato cap.* 116. *ac Philastrio Brixiensi Hæresi.* 7. Japhet & posteris ejus, in exdivisione Orbis, Septemtrionales, & ultra mare Occidentales obtigisse partes. Nulla Gens alia huc transivit, quæ idiomate distingueretur, & prius ante Japhetitas mansisset. Omnes ergo qui ex Asia transierunt per Bosphorum Thracicum, vel per Continentem aliquando eodem in loco firmum (ut supponit *Plinius Hist. Nat. lib.* 6. *cap.* 1.) ejusdem moris & linguæ fuerunt, ac versus intimiorem Europam multiplicati processerunt,

Hi igitur antiquiſſimi populi ſub nomine Scytharum primi, qui Europam incoluerunt, littora Marium impleverunt, quos antiquiſſimos eſſe fatetur *Juſtinus lib. 2. cap. 1.* a quibus Sarmatæ, deinde Slavi orti ſunt, ut toties dictum. Adeoque (præſcindendo etiam a poſtremis irruptionibus, quæ adductæ ſunt *Par. 1. Sect. 8. N. 6.* & ſequentibus fuſe) primitus omnis Continens inter mare Adriaticum & Scythicum ac Balthicum Scytho - Sarmato - Slavis repletus erat. Ubi licet variante fortuna, poſtea nomen Scytho-Slavicum ſuppreſſum fuerat, manſit tamen populus ſuæ originis, & idiomatis non ignarus.

Hinc factum ut Slavi in Dalmatiam ſub Juſtiniano venientes, contra Imperatoris Duces fortiores evaſerint, ut non incurſantium modo, loca illa infeſtarent, verum nil hoſtile reformidantes, non aliter ac domi, hybernarent, teſtante id *Procopio de Bello Gothico lib. 3. cap. 29.* Ideo, quod indigenas antiquos ſui Generis reperiſſent, a quibus fraterne excepti, & numero aucti, adeo potentes evaſerunt, ut abhinc amplius deturbari non potuerint.

8. Scio his contradicturum *Alexandrum Natalem Hiſt. Eccle. Tom. 1. pag. 135.* qui hanc exdiviſionem a Noe factam fuiſſe negat. Quod ipſi etiam S. Patriarchæ amplitudo Aſiæ nota non fuerit. Ipſi aſſentirer, ſi de Partibus ut nunc ſunt Aſia, Africa, America, Europaque ageretur, non autem de illa ſimplici ex diviſione in Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septemtrionem. Hæc enim neceſſaria ſubſequi debuit, ut Prophetia Patriarchæ a DEO inſpirata effectum ſortiretur in filiis. Subſequi autem non poterat, ſi omnes confuſi manſiſſent. Unde D. Moyſes ſingulorum Filiorum Noe manſiones oſtendit, *Gen. cap. 10. per. tot.* quæ hanc exdiviſionem confirmant. Chanaan tamen in Paleſtina diu manſiſſe ſcribit, non tanquam hæredem, ſed tanquam Poſſeſſorem temporaneum, ut populo Iſrael præpararet commodam manſionem, in Ægyptum tandem

&

& Africam ejiciendus. In his autem partibus Septemtrionalibus & Occidentalibus Europæ, posteri Japhet Scythæ, Sarmatæ, Slavi, perpetuo manebant, a nullo unquam alieno populo exturbati. Et specialiter ad Pontum Euxinum in Illyrico, Istria, & Dalmatia, perpetui hærebant, nullo prius ante Justiniani Imperium ibidem indigena manente. Et Illyricum, Istria, nunquam aliud sonabant, & non aliter a Scriptoribus usurpatur, nisi pro terra & Patria Slavorum. Licet autem incognita nobis nomina populorum, supponant Geographi, tamen *Pola*, *Scordra*, *Salona*, *Lopsica*, *Jasy*, *Latovici*, *Saus*, *Draus*, apud *Plinium* Slavicum quid sonant. Idem etiam *lib.* 3. *cap.* 23. dum Mæssiæ populos enumerans dicit: *Mæsi Thraces Pontoque contermini Scythæ*, insinuat hic, & circa Pontum meminem præter Scythas mansisse. Scimus autem Scythas, Sarmatas, & Slavos ex uno stipite processisse. Quod nedum antiqua monumenta testantur, sed nunc quoque palam videri potest, dum intra *Hemum* & *Rhodopem* populi habitantes, omnes sunt morum, & linguæ Slavicæ, ut oculatus testis, loca illa scrutatus, fatetur *Strykowski Hist. Pol. lib.* 4. *cap.* 2. A prima ergo sui origine (licet sub diversa sorte) in Dalmatia Slavi habitarunt.

9. *Tertia Objectio* aliquod potest habere fundamentum. Quia *Salona* fuerat Metropolis Dalmatiæ, multo prius ante Lechum, & sicut Archiepiscopatus, ita & alii Suffraganei Episcopatus florebant per Dalmatiam ante sæculum VI. Et licet exustam fuisse ab Abaribus dicat *Porphyrogenitus* anno 449. non tamen prorsus sublata est. Passa quidem fuerat sat mali eo tempore, item ab Attilæ exercitu, circa annum 450, mansit tamen, & superstes fuerat, usque ad Justiniani tempora, & multa commoda præstitit Ducibus Imperatoris. Debuit igitur Lechus, (qui sæculo VI. venerat in Poloniam) Ritus adferre Catholicos; Nil tamen horum. Et quemadmodum Slavos indigenas invenerunt

Paganos, ita ipſi quoque in cultu Idolorum nimis ſuperſtitioſi fuerant.

10 Huic objectioni ſatisfit per bonam coordinationem temporum, diſtinguendo ipſas Chrobatorum, & Serbiorum, migrationes ex Dalmatia. Verum quidem partem Dalmatiæ Maritimam & Orientalem (ubi *Salona* Metropolis fuerat) Fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe multo tempore, ante ſæculum VI. Sed illa pars ſemper pertinebat ad Imperatores Romanos. Pars vero mediterranea Dalmatiæ, errores Idololatricos, minime depoſuit (niſi forte aliquæ particulares Familiæ) ideo, quod cum ibi perpetuo confligerent inter ſe Slavi, Gepædes, Gothi, Serbli, Chrobatæ, Præcones Evangelii, capax tempus convertendi hunc populum, non habuerunt, adeoque diu in tenebris manſit Dalmatia.

Præcipue vero Chrobatæ Albi ſeu *Belo - Chrobati*, & *Serbli* (pariter Albi) contermini Germanis, Pagani ſemper fuerant. Et de his nil dixit Porphyrogenitus *lib. de Admin. Imper.* niſi *cap.* 31. quod poſt Turcos proximi Alemaniæ manſerint: & *cap.* 32. quod Hungariæ, Alemaniæ & Chrobatiæ contermini ſint, nec fidem ſuſceperint. Iſti autem jam ante ſæculum VI. receſſerunt, a cæteris Chrobatis, ad montem Carpatum, ſedes fixerunt in loco, quæ *Bagibaria* dicebatur. *Vide hic Part.* 1. *Sect.* 8. *No.* 7. Lechus autem venit ex vicinia *Prevalis* & *Zantæ*, ubi fuerat *Swewlady* & *Selimiri*, ampliſſima Poſſeſſio in Mediteranea Dalmatia, creſcens ex pactis, ac fæderibus, *Terbuniis*, *Zachlumiis*, cetærisque Gentibus Slavicis ibidem manentibus juncta. Ex Patria igitur Lechus egreſſus pergebat directe per varias Provincias ad Chrobatas Albos, illorum etiam nonnullos, in novas Colonias trahens, unde omnes advenæ, Pagani fuerant.

11 Alterius Migrationis Chrobatorum e Dalmatia meminit *Porphyrogenitus cap.* 40. quorum una Pars perrexit ad

Orientem, altera in Septemtrionem, ſcilicet in Slavoniam, & Serbiam ut *exponit Farlatus Illyri. Sacri. Tom. 1. pag.* 117. Acciditque hæc migratio circa annum 630. ſub *Heraclio* Imperatore Orientis, ſed jam tunc Regnum Poloniæ fundatum erat, & Lechica Stirps declinabat, cui Leſcones ſuccedebant, & Lechia cum Bohemis fœdere juncta Principes aliquando communes habuit diverſam experta fortunam. Tandem creſcente Francorum potentia unitis viribus defendebat ſe ab armis Caroli Magni Imperatoris Occidentis. Refert namque *Eginhardus in vita Caroli M.* quod Carolus M. Filio ſuo Carolo, expeditionem commiſerit ad juvandum *Caganum* Principem Hunnorum, jam tunc Catholicum, contra impetitiones Paganorum Slavorum. In quo bello Carolus *Letzonem* Ducem Bohemorum anno Chriſti 805. interfecit. *Letzo* autem hic creditur fuiſſe Leſco III. qui (ut frequenter accidebat) Polonis atque Bohemis imperavit; ut putat *Cromerus de Orig. & Geſt. Polon. lib.* 2.

SECTIO V.

Objicitur: multas fabulas Hiſtoriæ Lechi inſertas, obſtare illius exiſtentiæ.

1. Cum Antilechitæ fabulas de Lecho ſcriptas eſſe dicunt, non ſuppono illos, nomen hoc ſumpſiſſe ampliſſime pro quacunqne narratione, qualiter nomine *Fabulæ* uſi ſunt frequenter *Cicero*, *Terentius*, *Suetonius* &c. Et Græci nomine Μῦθος illam exprimebant. Sed nec e contrario, pro re prorſus ficta ſumere illos fabulam, credo, quæ primo intuitu aliud edicere, aliud ſignificare videtur, quales ſunt fabulæ Æſopi, Poetarum, & Theatrales, ſed modeſte hoc nomine uſos eſſe ſuppono, ut ſignificent rem aliquam, non eſſe prorſus indignam judicio, ſed quod multis adornata ſit additamentis, quæ illi Fidem ſaltim cir-

ca nonnulla accidentia minuant. Adeoque ſaltim inter fabulas *prætextatas* narrationem de Lecho reponere videntur. Sed cum hoc quoque injurioſum ſit veritati, & Lechum quamvis prorſus non tolleret, dubiam tamen illius redderet exiſtentiam, inquirendum quænam illa ſint in Hiſtoria Lechi, ut fucum rei certiſſimæ imponant. Quia vero explicite non proponuntur ea, quæ fabularum rem præſeferant, ſed quisque pro ſua libidine, hoc, vel aliud in dubium vocat, ut turpibus his coloribus, Lechum, & farragine negationum, ac oppoſitionum, deformet, ſicque Scenicum tantum Principem depingat: Ego illa ad reſolvendum ſeligere propoſui, quæ videntur aliquantulum nervum habere, ut oſtendam Lechum indubitatum Principem Polonorum fuiſſe.

2. Aliqui ex eo fonte Lechum extitiſſe negant, vel ſaltim magnum dubium eſſe, utrum extiterit, dicunt; quod Authores (etiam illi qui Lechum approbant) in diverſas ſententias abeant. Alii hinc, alii inde veniſſe dicunt. In tempore etiam adventus in Lechiam, adeo non conveniunt, ut narratio aliquot ſæculis una ab alia diſtans, conciliari vix poſſit. His facile reſponderi poteſt, ſi hoc argumentum contra Lechum valeret, nulla Hiſtoria certa foret. Plus enim requireretur, quam ab hominibus ſperari poteſt. Si enim duo vel tres oculati teſtes ſic adæquate convenire non poſſunt, ut rem unam absque ulla alteratione deſcribant, (cum unus magis attendat uni, alius alteri circumſtantiæ, & ad illam omnia referat) multo minus qui rem ad coram non factam, ſed ab aliis relatam deſcribunt, ut omnino conveniant, fere impoſibile. Hæc tamen diſcrepantia nil prorſus obſtat veritati, ſicut ab originali non dicimus prorſus differre imagines, quod hæc lucidioribus, illa obſcurioribus, ſit depicta coloribus, modo principalia lineamenta eadem utraque imago habeat. Si vero hæc accidentalis differentia incertam redderet Hiſtoriam, nulla de-

defacto produci poterit, cui fides adhiberi deberet. Cum sciamus, juxta illud *Vopisci in Aureliano* quo ad hæc accidentalia: *Nullum Historicum quantum ad Historiam pertinet, non aliquid mentitum esse.* Sine his antilogiis ne sacram quoque Historiam inveniemus. Conciliandi ergo satius Authores disconvenientes, non vero propter illorum dissidium, rei propositæ veritas illico deneganda est.

3. Alii mirantes tot scripta & narrata de Lecho, præcipue *Assemanus Calend. Eccl. univers. Tom.* 2 *cap.* 3. *§.* 12. dubio subjiciunt nedum acta, sed existentiam Lechi. Ex eo, quod licet Synchronorum nullus de illo quidquam annotaverit; Res tamen Polonorum & Bohemorum in tanta caligine jacentes, tam multæ referantur perinde, ac si rebus ipsis Scriptores astitissent. Verum enim vero neutrum tanta admiratione dignum esse censeo. Quod coævi de Lecho non scripserint, nil obstare probatum est hic *Par.* 2. *Sect.* 2. & ratio potissima est: Cum enim rerum maximarum initia, vel admodum sint exilia, aut eo tempore, quo accidunt sub trementi adhuc manu fortunæ existant; & num monstrum? num fætum perfectum, formatura sit dubitatur; Hæc annotare prudentes non audent, ne vel apud Potentes invidiam sibi parent, vel suam Authoritatem prostituant; Ideo opus, cum completum fuerit, aliis describendum relinquunt. Quod autem posteriores Lecho, & de illo vix notitiam habere valentes, gesta accuratius describant, non inferendum hæc esse conficta, sed quod ad illa usque tempora, quædam monumenta integra, & constans traditio permanserit. Ut dictum hic *Par.* 1. *Sect.* 7. *per tot.*

4. Alii opponunt: Pars illa Europæ, in quam primo migravit Lechus, & Czechus, supponitur esse vacua, & libera, in quam hi Principes dicuntur venisse nullo obstante, cum tamen id consequi nullatenus potuerint, implente illam Orbis Partem, Gente bellicosa Germanorum, cujus limes (juxta *Ptolomæum*,

mæum, *Plinium*, *Tacitum &c.* fuerat Viſtula. *Item*, frequenter ab Hiſtoricis Polonis Lechus dicitur veniſſe ex *Dalmatia*, *Croatia*, vel alia Regione proxima in Partes *Poloniæ*, cum eo tempore, nec extiterint, ſub prædictis nominibus hæ Gentes, adeoque tota narratio ſubleſtæ fidei eſt judicanda.

Objectioni primæ ſatisfactum eſſe ſuppono. *Sarmat. Europ. cap.* 5. 7. 9. Ubi plagam illam totam verſus Rhenum, vel ſaltim ad Albim fluvium, Slavorum hæreditariam fuiſſe probavi. Quod hucuſque teſtantur nomina Civitatum Slavica *Wratislawia*, *Roſtok*, *Szczecin* &c. paululum germaniſata. Si autem Germani ibidem incolæ fuiſſent, utique apellationes Germanicæ nullatenus aboleri potuiſſent, ſicut Slavicæ deleri non poſſunt. Vel ſaltim reſtaurato Germanorum dominio reaſſumerentur. Hoc tamen nullatenus factum; quia illarum civitatum, nulla fuerat primitus ſub Germanis. Deinde Gens Slavica depreſſa licet ſub Vindorum, vel Vinidorum nomine per illas ditiones, clamat hucuſque, hanc terram eſſe Slavorum propriam, licet alternante fortuna, nunc ſerviant Slavi potentiorum armis depreſſi. Unde limites illi a Ptolomæo, Tacitoque Viſtula definiti, ſatius dicendi ſunt ficticii. Quod minime derogat Authoritati tam gravium Scriptorum. Illi namque has Regiones nunquam luſtrarunt, ſed quæ a Germanis, ſua exagerantibus, didicerunt, hæc annotarunt.

5. Quis autem vel lippis oculis non videat errorem in *Plinio lib.* 4. *cap.* 14., qui uſque in Daciam extendit Germanos, nunquam ibidem, niſi ut peregrinos, viſos. Sed candidus Author ſe in principio ſermonis juſtificat ex aliorum ſententia ſcribere dicens: *nam Germania multis poſtea annis nec tota, percognita eſt. Si conjectare permittitur, haud multum oræ deerit Græcorum opinioni.* Imo de origine Germanorum non conſtat ſibi *Plinius*, Illos namque ab Hiſpanis ortos ſupponit *lib.* 3. *cap.* 3. a Scythis autem deſcen-

dere

dere affirmat 4. *lib. cap.* 12. Imo ea quæ scribit de Animalibus *lib.* 8. *cap.* 15. De Succino *lib.* 37. *cap.* 3. De mellis copia *lib.* 11. *cap.* 14. prorsus alienum a fide est; adeo, ut nec toti Poloniæ illa communia sint, sed nonnullis tantum Provinciis, utpote Succinum soli Prussiæ; Animalia Lituaniæ, Podlachiæ, Wolchyniæ; Mellis *Copia*, Wolhyniæ & Podoliæ appropriari possunt. Ptolomæus ipse quod oras modernæ Poloniæ ignoraverit, imo quod in dubiis a Germanis informari non potuerit, clare ostendit, dum (augurando ferme) Civitates plures posuit, sub nomine communi πολις seu loci *habitabilis*, quas tamen nomina propria habuisse extra dubium est.

6. Quæcunque ergo de nostris Oris Polonicis, de fluminibus, populis, subtrahunrur, & Germaniæ applicantur, adeo certum est ad Germaniam nunquam pertinuisse, ut nihil aliud. Ratio vero erroris non est impingenda Authoribus, sed illis, qui falsa pro veris retulerunt Iisdem. Neque enim ob barbariem Gentis, litteras & mercaturam odientis, patebant unquam interiora modernæ Poloniæ, adeoque nil certi Authores expiscari poterant. Unde & Tacitus *German. cap.* 45. quæ scribit, *ex fama* se didicisse fatetur. Et Plinius conjecturas tantum annotavit; dicit namque: *reliqua littora* (Maris Baltici) *incerta signata fama.* Candidissime autem ignorantiam sui & aliorum hujus tractus Polonici explicat *Strabo Geogr. lib.* 7. *Neque ultra Albim sita Romani adierunt, sed ne terrestri quidem itinere quispiam illa perlustravit. Neque an tota illa ora Oceani aliqua sit portio, quæ vel ob frigus, vel alia de causa habitari nequeat.* Nullus igitur error (ex ratione Geographica) nostris Scriptoribus imputari potest, dum circa occupationem hujus oræ a Lecho, nullam Germanorum mentionem fecerunt, cum ibi nullos repererit Lechus. Imo ex Historia bene ordinata migrationis Lechi, majus lumen affertur Geographis, ad emendandas hallucinationes antiquorum Historicorum.

7. Quod autem ſecundo loco objectum fuerat. Scilicet *Poloniam*, *Dalmatiam*, *Croatiam* &c. tempore Lechi minime extitiſſe: Concedo facillime. Sed ex eo Scriptores argui minime poſſunt, de falſa narratione. Scio noſtrum *Cromerum* plurimis in locis, hac ratione convictum, retractum fuiſſe, ne quosdam populos pro Slavis acceptet, quod ibi, ubi probantur Slavi manſiſſe, alia natio ſub diverſo nomine ſederit. Imo plurimum confidenter populos quosdam Slavis ſubtraxit; quod Ptolomæus Viſtulam limitem Germaniæ poſuerit. Scio *Aſſemanum Calend. Eccl. Univ. Tom.* 2. *cap.* 3. Toties noſtros Scriptores atque Bohemos Anachronyſmi arguere: quod Regionem hanc *Poloniam* appellent, cum nondum ſic dicta fuiſſet. Sed minime halucinatos fuiſſe comperiſſet, ſi per prolepſim hæc dicta fuiſſe, animadvertiſſet. Neque enim infrequens eſt, nomina poſterius indita, priori tempori accomodare, quo in uſu minime fuerunt, ut narratio melius percipiatur. Hos ego quoque imitari coactus ſum, ne obſoleta nomina ponens, obſcurus videar. Si enim *Zachlumiam*, vel *Prevalim* vel *Zantam ſuperiorem*, aut *inferiorem* ponerem loco Dalmatiæ, negotium Lectori imponerem iquirendi, ubinam terrarum hæc loca fuerint, & donec legens Syſtema primævæ Coſmographiæ menti imprimeret, anceps dubiusque in pluribus locis ſubſiſtere teneretur. Nil ergo vitii in Scriptoribus ſi per prolepſim Poloniam, Dalmatiam, Croatiam, eo loci ponant ubi nunc eſt, licet tempore Lechi *Slavonia Magna*, tandem *Lechia*, vel alio quopiam nomine, & necdum Polonia appellata fuiſſet.

8. Quæcunque igitur ab Hiſtoricis noſtris propoſita fuerant mente pura, & candido animo, pariter, a docto, & non intereſſato Lectore, accipienda ſunt. Non nego examen; hoc enim cuivis Prudentum permiſſum eſt. Et Hiſtoria Polona illo indiget, cum, ſi quod? maxime illam confundunt, diverſæ regiminis formæ, ſub Regibus, ſub

Duci-

Ducibus &c. Quarum distinctæ epochæ cum sint, omnes tamen disquisitioni subjacent. Ut notavit *Jacob. Gordonus in Op. Chron. ad annum* 670. Sed Crisi discreta utendum puto, ne dum improbantur facta, vel illorum accidentia, ex ipsis improbetur etiam Personæ existentia. Si namque videtur falsum esse, Lechum tot bella contra Germanos suscepisse (quod nondum vi polleret) utique negari haud poterit, illum aliqua gessisse. Nulla enim nova Regnorum fundatio, absque illis inchoari potest, dum omnis vicinus sibi cavens, præ oculis habet, ne potentem vicinum sortiatur. Vinci autem, vel vincere supernæ dispositionis est. Male favet victis, qui ne illos inferiores victoribus ponat, ipsa bella fabulas dicit. Imo perpetuas cuiquam populo attribuere victorias, nec vinci posse, paradoxum est, & inter tantas rerum vicissitudines, vix practicabile. Quod si cuipiam placuerit, bella & victorias Lechi inter fabulas reponere, non sufficit id solum asserere: sed inter plures Scriptores ostendendum est, quis primus finxit? quis primus fingentem falsitatis convicit? Deinde ambo litigantes combinandi, quis illorum potiores rationes pro se adducat? & quidem solidas, animo ab omni odio, amore, & passione prorsus alieno.

9. Ad extremum. Licet etiam existentia Lechi probaretur per pure conficta bella, & miscerentur narrationi theatrales & Poeticæ fabulæ, non eo ipso Lechus negari posset. Antiquissimæ namque Gentes, ac urbes, ut clariores evaderent, Deos Fundatores suos finxerunt. *Jones* a *Jone* Apollinis Filio; *Boeotii* a *Neptuno. Macedones* a *Jove* & *Deucalione*. Alii ab *Hercule*, *Venere*, *Junone* se processisse jactabant. Non tamen Illarum Gentium claritati quidquam minuitur, & origo deprimitur. Non ejiciendam totam Historiam licet fabulæ admisceantur, monet *Livius in Præf. tot. Oper.* dicens. *Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana Divinis primordia urbium, augustiora faciat.* Ipsæ namque fa-

bulæ aliquid veritatis includunt, quæ cortice dempto pura prodit. *Chimæra* Fons Siciliæ usque hodie manet, licet a Poetis sub nomine Monstri depingatur. *Jovem in Creta* regnasse, certum, licet ut supremus Deorum cultus aliquando fuerit. *Orphæum* Poetam Thracicum in Scythia natum ad Pontum inter *Morissenos*, & *Sitonios*, testatur *Plinius Hist. Nat. lib.* 4. *cap.* 11. Cui nil obstat quod sub nomine *Vatis*, multa ipsi figmenta adjiciantur. *Lechus* autem noster nunquam Græca tunica usus, nec similibus fabulis adornatus fuerat, cur negaretur? quod uni, vel alteri, gesta illius cum veritate convenire non videantur? illum propterea negare defacto temerarium, & rectæ Crisi valde præjudiciosum foret.

10 Sed demus tandem aliquid falsi ab Historicis adjectum fuisse! prudens hæc præscindat, necesse; ita tamen, ne Lechum offendat: nemo enim injuriam hanc pati tenetur, ut vivus suffodiatur, nisi evidentia mortis indicia præseferat. Ita ex vitis Regum Polonorum *Lech* non exturbandus, donec probetur, aut illum non vixisse, aut jam rationibus Antilechitarum interemptum esse. Quousque hoc non successerit, perennabit in monumentis! utemur illius exemplis, ex Authoribus nostris. Cui autem hæc displicent, sequatur *Flavium Josephum lib.* 1. *Con. Appionem* qui ex *Menathone* Ægyptio vera testimonia sumpsit, præcisis dubiis, quæ vel incerta, vel alterata (præcipue circa successionem annorum) invenit. Sequatur *Theodoretum 2da Therapeutica.* Qui Theologiam, & Hæroum fictas Personas, ex eodem *Menathone* expunxit, Historiam tamen certam, non rejecit. Tales rogo habeant Criticos Scriptores, & Historici Poloni, Lechus (etiamsi millenis fabulis Poeticis obrueretur) Salvus erit.

PARS

PARS TERTIA.

Oſtenditur: nullatenus probari poſſe, Polonos a Lazis derivari.

Plurimum gloriatur *Lengnich Diſſertatione de Majoribus Polonorum* ſe inveniſſe Gentem Lazorum, cui derivationem Generis, ac Nominis deberent Poloni. Alias autem deductiones, & ipſum Lechum nihili pendit, hæc omnia Imaginationem puram Authorum eſſe dicendo, ſuam autem ſententiam tanquam Achillem omnibus opponit. Utrum autem recte argumentetur, videndum erit in ſequentibus.

SECTIO I.

In qua examinatur Syſtema Originis Polonorum a Lazis.

1. Nova hæc, & ante ſæculum præſens inaudita deductio Polonorum a Lazis, ſicut ad probandum eſt difficilis; ita ad ſe refutandam prompta arma, ſubminiſtrat. *Hermannus Schminckius Goldaſtienſis.* ſub initium præſentis ſæculi hujus ſententiæ inventor eſſe dicitur: Cujus quidem opus cum ad manum non habeam: Paralellum illi *Godefridi Lengnich* examinare conſtitui. Non dubito, utrumque opus parum differre, quamvis *Lengnich* nullam mentionem *Schminckii* faciens, ſe Authorem hujus inventi ſubſtituat. Hoc vero unicum adjeciſſe ſuppono, quod aliquantulum melius Polonice inſtructus, ipſe derivationem *Polacy* a Lazis invenerit; quaſi idem ſonaret *Polacy* quod *Lazow naſtepcy*, ſive *Po Lazach*, ſcilicet, *Lazorum ſucceſſores.* Hanc tamen derivationem apud Polonos non poſſe formari, jam demonſtravi. *Part.* 1. *Sect.* 11. *No.* 7. *& ſequ.* Nunc ſo-

lidiores ipsius *Lengnich* videndæ sunt prædictæ opinionis, probationes.

2. Præmisso tanquam certo, quod Poloni non potuerint esse hujus terræ indigenæ. Protestatur *Lengnich* se nolle sequi aliorum sententiam, cum ubique nil inveniat præter fabulas (fatendum hic erat *Schminckium* suum esse Antesignanum) Promittit adducturum se Authores sæculi X. & ex ipso nomine Polonorum, ostensurum prima Gentis principia. Hæ sunt magnificæ promissiones ad conciliandum faciliorem assensum apud Lectores. Producit ergo in scenam prædictæ *Dissertationis de Major Polon.* §. 4. Lazos populum Cholchicum cum Zechis vicinis suis, hujusmodi Gentis libertatem probat ex *Procopio* quod in nullo subjecti fuerint Romanis, nisi ut excursiones Hunnorum per Regionem Lazicam Impedirent. Et in gratiam hujus obsequii, munus ab imperatoribus Romanis accipere solebant, diadema aureum, pallam auro intextam, calceos murice tinctos, Mytram auro ac lapidibus variatam, nec non chlamydem albam, auro intertextam. Consulto autem libertatem Lechorum ac Lazorum (aliis eorum commendationibus præmissis) præponit; ne quis opponat, Gentis liberæ Polonorum, servilis animi, nec libertati assuetos, extitisse Fundatores.

3. Ut autem rite procedamus. Videndum est ante omnia, quæ nam fuerit? & ubi substiterit Gens Lazorum? de Zechis namque Czechi ex proposito agunt. Lazy Scythica, quondam Gens fuerat, & unum corpus efficiebat cum cæteris, quæ illi vicinæ fuerant, omnes autem Provinciæ in unum coalescentes corpus, *Colchidem* antiquam efficiebant, in plures populos discissam. Teste *Plinio lib. 6. Hist. Nat. cap. 4. Ejus loci* (inquit) *a tergo Iberia est: in ora vero Heniochi Ampreutæ Lazi.* Si primitivos limites Lazorum inquiramus, nullos habuisse determinatos reperiemus. Ab antiquo enim nomine *Colchorum & Iberorum* veniebant. Inter

ter Pontum Euxinum, & mare *Hyrcanum* fuerant locati, a Septemtrione Sarmatiam, a meridie Armeniam majorem, collimitaneam habentes, ut vult *Ptolom. lib.* 5. *cap.* 10. & 11. Illos *Plinius lib.* 6. *cap.* 10. mari *Hircano* five *Caspio*, & *Caucaso* monte definit. Sub nomine *Albanorum*, *Colchorum* & *Iberorum*, nomina tantum diversa, Gentem eandem esse affirmans. Et ita Sarmaticis Gentibus erant connexæ, ut Sarmatæ ipsi quoque crederentur. Præcipue pars illa Colchidis, quæ supra Euxinum, & circa Mæotim extendebatur Tanaim versus, quam *Zingi* sive *Zigæ* (*Zechi* a Recentioribus dicti) inhabitabant. *Plinius lib.* 6. *cap.* 7. Colchica Regio fertilis quidem sed tota montosa & magna ex parte a Sarmatis clausa. Nam & Caucasi juga a Sarmatis occupata fuerant, Gente fera, & ob loci firmitatem inaccessibili. Dicit namque *Plinius lib.* 6. *cap.* 5. *a tergo Colchorum Epageritæ Sarmatarum populus in causasi jugis: post quem Sauromatæ, ad hos confugerat Mithridates Claudio Principe.* Porro tota Gens tantum sub nomina Colchorum, & Iberorum primitus nota fuerat, nomina vero particularia nonnullis populis posterius addita sunt, postquam tum a Persis, tum a Mithridate, tandem a Romanis distingui cæperunt, ideo quod pars Colchidis uni, altera alteri, subjecta esset. *Iberia* vero *Orientalis* dicebatur ad distinctionem Hispaniæ, quæ *Iberia Occidentalis* audiebat, expresse docet *Porphyrog. Adm. Imp. cap.* 23. dicit: *Iberiæ duæ sunt, altera circa columnas Herculeas, altera vero Iberia apud Persas sita est* Unde quemadmodum Scytharum & Sarmatarum nomina pro libitu assumebantur, tanquam Synonima. Ita nomina *Albanorum*, *Colchorum*, *Iberorum* pariter usurpabantur, ut pro tempore scribentis, hi, vel illi populi, clariores evaserant.

4. Nunc autem omnes hi populi *Georgiani*, Provincia vero *Georgia*, vel *Mingrelia* vocatur. Arabes *Gurgios*, vel *Kurgios* vocant. Regionem vero *Gurgistan*. Ipsum vero

Mare

Mare *Gaspium* appellant. *Bohar Giorgian*: *Mare Georgianum*: Alii *Bohar Chazar*, Mare *Chazariæ*. Vide *Herbelot in Bibliot. Orient. Pag.* 402. ℣. *Georgian & Pag.* 407. ℣. *Gurge & Kurge*. Appellationem Georgianorum prædictus *Herbelot* putat sumptam a Civitate *Georgiana*, licet illius antiqui Geographi non meminerint. Aliqui volunt a Sancto Georgio nomen sumpsisse, quod ab Ipso conversi fuissent, sed hoc non subsistit. A Ducibus quidem & politicis Rectoribus, nomina quandoque sumpta fuisse dixi superius, *Part.* 1. *Sect.* 4. *per tot.* sed a Rectoribus Ecclesiasticis, vel Apostolis denominatos fuisse populos, nunquam auditum. Vide quæ ad propositum dicentur infra hic *Part.* 3. *Sect.* 5.

Georgianos igitur suppono dictos, vel a populo Scythico, qui in vicino manebat nomine *Georgarum* distinctus a *Plin. lib.* 6. *cap.* 13., quod huic Genti aliquando dominatus fuerit; vel satius, quod moribus, *Georgis* Scythis essent similes, agriculturam & rusticam rem præ primis curando. Congruit Genius Gentis, apud quam Proceres ruri manere consueverunt, ne in urbibus (ut ajunt) deliciis diffluerent. *Krusinski Hist. Trag. cap.* 5. *Sect.* 2. *No.* 164. Hæc de situ & nomine *Colchorum*, *Lazorum*, *Iberorum*, *Albanorum*, *Georgianorum*, *Migreliorum* necessaria præmittenda erant, ut sciatur, quodcunque nomen illorum Gentem eandem designare, omnibusque populis eundem Genium esse, mores, & arma, &c. Licet quandoque unam, vel alteram Provinciam singularem designet nomen particulare, paucis admodum ab alia vicina differentem, sicut differre solent Provinciæ unius Regni. Ita præter *Ptolomæum* & *Plinium* citatos *Mela lib.* 1. *cap.* 2. *Rufinus lib.* 1. *cap.* 10. *Augerius*, *Gislenius*, *Busbequius Legationis Turc. Epist.* 3. *Spondanus in Epit. Annal. ad annum* 522. *No.* 4.

5. Hos igitur populos e longinquo, tam facile in Poloniam *Godefridus Lengnich* deducit, ut quilibet satis non

possit

possit mirari Virum ingeniosum, & itinera dispofuisse, & migrantibus ne quid deesset, omnia providisse. Sed quam bene Triumviratus Officium in deducenda Colchorum in Poloniam Colonia administravit? examinandum erit. Mox tamen notandus erit, quod tantum exercitum, qui & fundando Regno sufficere potuisset, bellis ac itineribus per longinquas terras, & vastissima flumina, fame siti, incommodis atterendum, minuendumque ducens, periculis undique exposuerit. Deinde suo tantum confisus ingenio oblitus prorsus fuerat, tanto populo assignare Ducem, & supremum Moderatorem, ut non jam Exercitus, vel Copiæ, sed agmen pecorum, & turmæ locustarum dici mereretur, a quocunque obvio impune dissipandus. Et licet sat provide illa præmisit, quæ itineri perficiendo, & fundando Regno valuissent sufficere, (si vera & certa fuisse probasset) tamen multa ostendentur, quæ (etiam mediocriter in Historia versatis) palam contraria esse constabit. Ex quibus magis infirmatur Illius opinio, quam stabilitur sententia. Gratiam meretur apud Colchos, a *Lazis* solis approbandus, quod illos, tam gloriosarum Gentium (quales habentur a Scriptoribus Bohemi & Poloni) Fundatores effecisset, si aliam methodum probandi efficaciorem assumpsisset. Nunc autem, cum illorum inclinationes moresque examinandi veniunt, cum detegitur incapacitas ad hoc munus exequendum; offendisse videtur.

Stylus etiam quo pungit Assertores Lechi (*Dissert. de Major Pol.* §. 3. 18. & *Hist. Pol. Par.* 1. *§.* 2. Lechum, esse Minervam non ex Jovis, sed Recentioris cujusdam cerebro natam; Lechum probari, nullo examine facto; Lechum esse fabulosum, ut annotatum hic *Part.* 1. *Sect.* 2. *§.* 2.) in Authorem redit: qui nidum Genti in pura Imaginatione composuit; ex quo tantum examen evolavit, quantum & itineri longinquo, & fundandis binis Regnis, sufficeret.

6. Ut autem probationibus ejus respondeam, illasque sine majori authoritate subsistere non posse ostendam. Utar candide testimonio Antiquorum, qui Lazorum Gentis conscii fuerant, & mores, fortunamque Regni ipsorum descripserunt, adjuncta (ut mihi videtur) recta illatione: illos, nec migrasse, nec migrare potuisse, tanto minus Regno, vel nomini Polonorum initia dedisse. Fateor autem multo mihi adjutorio fuisse *opus R. P. Thaddæi Krusinski e Societate JESU* Missionarii Persici; tum illud quod inscripsit: *Prodromus ad Historiam Revolutionis Persicæ*; tum aliud subsequens *Tragica vertentis belli Persici Historia.* Licet enim Author sit recentior, combinatus tamen cum Antiquioribus, conveniensque in depingendo ad vivum Genio *Lazorum*, sive (ut nunc appellantur) *Georgianorum*, utpote non ex solo auditu scribens, sed oculatus testis, qui illos adivit, vidit, & allocutus est, ut testis omni exceptione major acceptandus erit.

SECTIO II.

Lazi, nullatenus possunt ostendi Fundatores Originarii Lechitarum, ob defectum qualitatum ad id necessariarum, & maxime ob diversitatem idiomatis.

1. Nemo dubitat ad fundandum Regnum, & deducendas alio Colonias maxime necessariam esse prudentiam, & dexteritatem, saltim in Ducibus. Sine his namque qualitatibus, successum nullum migratio sortiretur. Si enim (juxta Evangelium) *cæcus cæco ducatum præbeat ambo in foveam cadunt.* Unde Romani in alias Regiones Colonias deducturi per Plebe-scitum, aut ex Senatus consulto decretum, conscriptis pauperibus Colonis per Consulem, quandoque per Prætorem Urbanum, eligebantur Curatores tres, vel plures, qui turbam illam deducerent, & omnia recte, ac

ac prudenter diſponerent. Qui proinde *Trium Viri*: *Quinque Viri*; *Septem Viri*: &c. appellabantur *teſte Salmaſio ad Solinum pag.* 674. *ſequ.* & *Roſino antiqui. Rom. lib.* 7. *cap.* 47. Sine quibus, nil ordinate ac ſolide fieri poſſe deſperabant. Hæc bene præviderat *Lengnich* Unde *§.* 4. ponit *Agathiæ lib.* 3. teſtimonium. Quod Lazi ſe celeberrimos crediderint, cum excellentia ſubjectorum, tum locorum opportunitate, tum morum elegantia, & dexteritate. Nullum tamen inter illos potuit invenire, qui Ducis Officium in hoc itinere agere poſſet. Omiſſa igitur relatione, qua, & quomodo iverint, immediate probat Lazos eſſe Polonos. Deinde §. 6. intrepide affirmat, Lazos, Polonis, moribus, & lingua, affines; idque ideo, quod utraque Gens Sarmatica fuerit, quamvis a Romanis mores meliores mutuaverit.

2. Mihi autem aliud, idque contrarium certius eſſe videtur, ideo, quod Lazi prima qualitate ad migrationem omnino neceſſaria prorſus caruerint, ſcilicet prudentia, & rerum experientia. *Agathiæ* quidem teſtimonium illos commendare poſſet, parum tamen juvat, nec ſapientiores probat, quam fuerint. Quinimo contrarium ipſe Author de illis ſenſiſſe videtur. Ipſe enim factis illorum prudentiam non attribuit, ſed refert falſam de ſe ipſis opinionem, per ſuperlativa explicata, cum injuria aliorum, quod non multam prodit ſapientiam, judicio Eccl. 10. ℣. 3. *In via ſtultus ambulans cum ipſe inſipiens ſit; omnes ſtultos æſtimat.* Ne mihi quæſo impingatur! toti Genti eſſe injurium, quam nec novi, niſi ex teſtimonio aliorum, & præcipue antiquiſſimi Hiſtoricorum *Herodoti lib.* 4. *cap.* 44. ſcribentis. *Pontus Euxinus Nationes exhibet omnium imperitiſſimas, Scythica duntaxat excepta. Nullius enim Nationis eorum quæ ſunt intra Pontum, aut aliquid ad ſapientiam pertinens proferre poſſumus, aut aliquem virum pro erudito habitum novimus præter Scythicam Gentem.* Superius autem *cap.* 37. Colchorum meminit: *Super Sapires Colchi ad Septemtrionale pertingentes mare, in quod*

influit flumen Phasis. Hæc de Gente, quæ ſe prudentiſſimam inter ceteras jactabat, Princeps Græcorum Hiſtoricorum *Herodotus.*

3. Reſpondebit forte Lengnich de antiquis hoc poſſe verificari. Ingenia vero, quia cum tempore expoliuntur; etiam Colchi Romanorum ex conſortio profecerunt, ut ad migrationem ſatis habuerint induſtriæ. Sed audiamus etiam Recentiorem teſtem *Busbequium* Legatum quondam Cæſareum ad Portam Ottomanicam: qui *Epiſt.* 3*tia data Conſtantinopoli* 1560. poſtquam multa de hac Gente prælocutus fuerit, addit. *In tanto otio, tantaque victus affluentia non conſtant mores.* Non diſſimilia de illis, poſterior tempore, quando jam proficere potuiſſent, ſcribit *P. Kruſinski in Tragica Hiſt. Part.* 1. *cap.* 5. *Sect.* 2. *No.* 157. *Non commerciis intentus, non Oeconomica induſtria in diverſa actus. Sed bellicis ſtudiis, qua corporis firmitate, qua naturæ quadam aptitudine natus. Ceterum ingenii & animi cultu, prorſus nullo.* Provenit autem ex mala educatione juventutis, unde immorigeri, & petulci evadunt, & creſcente ætate, adeo ingenuitatis immemores, ut honeſtati quoque minime ſtudeant. 5.
Quod autem ſpem profectus eripit, eſt illud, quod bonas artes & ſtudia non ſolum negligunt, ſed qui illis applicari vellent, ex innata quadam ruſticitate derident, per contemptum. *Ochumiſz* id eſt literatum vel *Scholarem* appellando. Maximæque gloriæ ducunt nil ſcire, & nullis ſtudere. Unde ſi cuiquam per contemptum dicatur quod ſtultus ſit, non indignatur: ſed quod ab omni injuria exemptibilem facere, & famam reſtaurare poſſe ſupponit, reſpondet: *DEI gratia dum eſſem parvulus non habui exulceratum caput, ut ideo me Parentes ad ſcholam cogerent. Kruſinski ibidem No.* 159.

Hæc eſt illa prudentia, quam exagerare ſolent, ſolebantque tempore *Agathiæ*; ſtultum eſſe! Hinc errores plu-
4 rimi intellectus, eo illos abripiunt, ut cum nil ſciant, ſapientiſſimos ſe dicant; prudentiæ vero ſtudentes deſpiciant.

Cum

Cum sint Hæretici, Augures, superstitiosi, plagiarii, perjuri apostatæ, & in substantialibus fidei errant, apud se puram fidem manere stulte credunt, dicentes: *Si Christiana Fides in toto Orbe terrarum periret, apud nos veræ & puræ Christianitatis flos inveniretur, & evulsus reviviſceret. P. Krusinski ibidem No.* 155. Unicum ingenii exercitium in eo consistit, ut dextre furentur, & latrocinentur, nulla restitutionis lege adstricti, prompti etiam juramento palmaria mendacia confirmare. Imo hoc ignorasse extrema inscitia, hebetudo, & ruditas judicatur, quod clarissimis verbis describit *Busbequius supra citatus*, dicens: *Una in re vim ingenii ostendunt, in faciendo furto. Furandi solertia, in magna laude ducitur, qui dextro Mercurio furatur, magnus censetur, qui nescit, ut stipes & truncus despicitur: imo vix communi luce dignus judicatur. Adeo quidem, ut hujusmodi, vel Frater, vel etiam Filius, ut degener, & spei deploratæ, mercatoribus advenis donetur, aut parva merce permutetur, quocunque terrarum asportandus.*

5. Alterum vitium Genti huic proprium est ebrietas, cui tantum indulgent, ut ille maximo honore dignus habeatur, qui primus inebriatur. Honestissima excusatio: Patrem Familias esse ebrium. Circumeunt se amici, & cum apud unum omnia consumpserint, ad alium veniant, donec omnia vicinorum dolia evacuaverint. Rei familiaris nulla cura, imo supina negligentia. Et cum fœcundissimam nacti sint tellurem, solum tamen *negligenti cultura panicum seritur, quod copiosissimum provenit, tantoque fœnore, ut semel satum in biennium suppetat, neque meliorem frugem desiderant*, inquit *Busbequius.* Unde ignavi, timidi, evadunt, & ut concludit *P. Krusinski: Omnes illorum actiones prorsus debito ordine destitutæ sunt.*

Sed saltim strenui essent! Verum, ne hoc quidem. Refert *Busbequius ibidem*, Reginam, Colchorum *Dadiani* Uxorem, volentem e captivitate maritum liberare triginta mil-

lia hominum collegiſſe. Potentiores & Capita Exercitus ponderoſis & inhabilibus loricis tegebantur. Aderant quidam Sclopetarii, reliqua multitudo nullis armis tecta, ſagittis pugnabat, aut præuſta ſude, aut, grandi lignea clava, in equis ſine *ephippiis vecta. Appropinquantes, ubi Rex cuſtodiebatur, paucarum bombardarum fragore perterrefacti ad unum milliare trepida fuga retroferuntur.* Quod recollectis aliquoties, iterum atque iterum accidit. Hujus Gentis imbecillitas & crapula ultimæ Cladi Regnum Perſicum ſubjecit, dum illis ſub *Aſpahano* Pontis commiſſa fuerat cuſtodia, *ſomno* namque & *vino ſepulti Georgiani*, Ponte deturbati rebellibus Aguanis viam aperuerunt ad obſidendam, deinde capiendam *Metropolim P. Thad. Kruſinski Trag. Hiſt. Par.* 2. *cap.* 4. *Sect.* 1. *N.* 338.

6. Hæc igitur eſt Gens *Colcho-Lazorm* ſeu *Georgianorum* ejusque Genius ab Herodoto depictus, & poſtquam ex conſortio Romanorum exculti eſſent, melius a Recentioribus oculatis teſtibus deſcriptus: hæc forma vivendi, dexteritas, qualitates, migrationi, & deducendis Colonis aptæ! a quibus Lengnich noſtros Polonos deducit, & ut ſuperſtitioſe credentes veneremur, & imitemur noſtros digniſſimos Anteceſſores, utpote Gentis & Regni Fundatores, ferme imperat. Non nego aliquos *Lazos* cum Attilæ exercitu (ex pluribus Gentibus conflato) in has oras veniſſe, & poſt mortem hujus Ducis reliquias hujus fæcis alicubi conſediſſe. Attamen ſicut in Patria nullius æſtimationis fuerant, ita poſt hanc peregrinationem meliores minime evaſerunt. Apud antiquos Saxones, aliqua illorum fit mentio: & infimus ordo Servorum *Lazzi* dicebantur, æqualis tamen conditionis fuerunt, ſicut *Daci* & *Sclavi* apud Romanos. Sed cum ſub Richardo II. ob teneram illius ætatem, deinde ob nimias exactiones, plurimi tumultus exorti fuiſſent in Anglia, multi Servorum libertati reſtituti ſunt, & ordo *Lazorum* ceſſavit. Manſit tamen adhuc hujus appellatio-

nis

nis memoria, nam etiam hodie *Lazie*, in Anglia ignavi vocantur *Henr. Spelmannus Gloss. Arch.*

7. Visis itaque moribus Lazorum, a quibus non discrepare Polonos dicit *Lengnich Dissertationis suæ §. 6.* Videamus alteram Partem assertionis, utrum subsistat? Nimirum Polonos cum Lazis in *idiomate convenire.* Nolo ego tam scrupulosus esse, ut quamcunque differentiam, vel dialectum, affirmem ipsam esse disconvenientiam in idiomate. Cum experientia mihi constet *Slavos* sive Sclavoniæ incolas, Dalmatas, Moschovitas, Vinidos, & ceteras Gentes plurimas, adeo recedere a Polonica lingua, ut nec illi purum Polonum, nec illos purus Polonus, quandoque intelligere valeat. Quia tamen in principalibus vocibus, nominibusque conveniunt, licet Orthographia & Syntaxis nominum atque verborum sit longe diversa, ob rationes a me adductas *in lib. de Orig. ling. Polon. senten.* 4. *&* 5. *per tot.* adhuc dici non possunt prorsus idiomate differre, vel ad unum genus scytho-Sarmato-Slavicum non pertinere. Substantialis differentia in hoc consistit, ut verba idem significantia prorsus non cohæreant sibi, v. g. *Chleb*, *Chlib*, *Klib* ob modicam alterationem adhuc permanent Slavica. Sed *Chleb* quoniam Germanice *Brot.* Hebraice *Lechem*, Hungarice *Kinyer* Anglice *Breade* dicitur; linguas istas a Polonica, & Slavica substantialiter differre affirmamus. Lazica vero, quod a Polonica, & Slavica, essentialiter differat, in præsenti mihi probare incumbit.

8. Verum quidem est *Lazos* sive *Georgianos*, cum primitive *Colchi* fuerint, ad Scythicum, sive Sarmaticum Genus pertinuisse, & idioma cum illis commune habuisse. Probari hoc potest pluribus. Et quidem ex eo, quod *Ptolomæus Geogr. lib.* 5. *cap.* 10. *&* 11. Confinia Colchorum determinet per Sarmatas a Septemtrione. *Et Plinius lib.* 6. *cap.* 5. in Caucaso (quem terminum Colchis ponit) Sarmatas ponat, imo ulterius, Sauromatas manere dicat. Qui

non

non alii ſupponuntur eſſe, niſi *Lesgii*, quos Perſæ *Digiſtanos* appellant, habitantes ad Caucaſi radices, proximi Moſchoviticæ ditioni, quondam Chriſtiani, nunc poſt Apoſtaſiam a Fide infenſiſſimi Fidelibus; a Tamerlane plurimum afflicti, ab hinc ſine ullo ſupremo Principe in 94. tribus dividuntur, quælibet vero tribus, proprium Dynaſtam habet. *Kruſinski : in Fragm. Hiſt. Perſ. lib.* 1. *cap.* 3. *Sect.* 3. *No.* 186. Ipſa quoque nomina Sarmatica teſtantur Scytho-Sarmatas illuc uſque extenſos fuiſſe. Nam *Plinius lib.* 5. *cap.* 11. & 15. circa Portas Caſpias meminit Regionis *Zapowertene* quaſi dicas *regreſſus* vel *retroceſſio*, quod a Portis Caſpiis rerrocedere viatores, ob difficilem aditum tenerentur. Meminit etiam ad Caucaſum incumbere rupi caſtrum *Cumania*, a populo Sarmatico *Kumani*, ſcilicet *affines*, ſic appellatum. An ſit eadem, cum illa, quam *Juſtinus lib.* 41 appellat *Daram* in monte *Zapaortenone* dicit a Seleuco conditam: *Cujus loci ea conditio, ut neque munitius quidquam*: non determinant Geographi.

Lengnich, *Lazos* populum Colchicum, Slavos fuiſſe dicit, verum non adeo recte. *Paſtorius quidem de orig. Sarmat. pag.* 63. recte probat ex *Procopio* & *Agathia* Sarmatas fuiſſe, Slavos tamen nemo unquam probare poteſt. Nomen enim hoc, & appellatio, ſolis Sarmatis Europæis convenit, qui idioma ſuum retinuerunt, & ex illo dicti ſunt *Slavi* vel *Slawni* ſeu *famoſi*: ultra Pontum vero Slavos habitaſſe nemo unquam dixit. Deinde licet Slavi ſub diverſis nominibus noti fuerint Europæ, ſub nomine tamen Slavorum primo tempore Juſtiniani divulgati ſunt, ut dictum hic *Part.* 2. *Sect.* 8. *per tot.* adeoque hæc denominatio Genti remotiſſimæ, & jam ſub nominibus diverſis, ab Hiſtoricis deſcriptæ, & ſub iisdem hucuſque manentibus populis, nullatenus attribui poteſt.

9. Imo non ſolum ſæculo VI. Verum multo tempore, ante Nativitatem Chriſti etiam Sarmatæ dici & eſſe deſierunt.

runt. Ex armorum usu, morum convenientia, non probo Populum quempiam ad hoc, vel illud genus pertinuisse. Hæc etenim uti libertati hominum subjiciuntur, ita reassumi, & mutari possunt. Illa, genus idem probant, quæ naturam comitantur, & ex domestica Oeconomia, ac educatione (quæ non tam facile mutatur) deducuntur. Certum autem est *Sesostrem* Regem Ægypti devicta Armenia & Capadocia, usque ad Tanaim & Thracas victricia arma detulisse. Unde Ægyptii *Sesostrim* Dario præferebant, quod Scythas vicerit, quos Darius nec assequi potuit. *Herodotus lib.* 1. *cap.* 110. *&* *lib.* 2. *cap.* 103. Præcipue tamen Colchi ejus potentiam senserunt, quos ad internecionem fere delevit, reliquos in Ægyptum transtulit, & Colchidem vacuam, Ægyptiis tradidit. *Unde magis Colchi reminiscebantur Ægyptiorum, quam Ægyptii Colchorum* inquit *Herodotus lib.* 2. *cap.* 104. Meminit etiam *Strabo lib.* 1. hujus Ægyptiorum in Colchos μεταστασεως; nec non *Diodorus Sicul. lib.* 1. *Rolin. Hist. Antiqu. Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. Præsentes autem incolas Colchidis non amplius suo tempore fuisse Sarmatas, probat *Herodotus* & dubitat an circa *Phasim* aliqui remanserint *lib.* 2. *cap.* 3. Suum vero assertum, quod Colchi sint Ægyptii, confirmat ex ipsa complexione, & colore fusco corporis, crispisque capillis, idem *Herodotus lib.* 2. *cap.* 104, & quod pariter ac Ægyptii, circumciderentur. *Ibidem cap.* 105.; Et quod lino ferendo, ac nendo more Ægyptiorum maxime occuparentur, *ibidem cap.* 105.

10 Sed maxime Gentem prodit loquela, & in illa, cum quibus Gentibus concordant cives, ejusdem Gentis surculos esse, ipse usus idiomatis ostendit. Cum enim hoc, a nativitate, circa educationem a Matribus doceatur, quæ non adeo attendunt mutationi status publici, sed magis proli educandæ, illam linguam docent, quam ipsæ sciunt; sicque patrium idioma in posteros traducunt. Unde nunquam ita perit originale idioma, quin saltim vestigium ali

quod relinquatur, priſtini Parentum ſermonis. Colchi autem non ſolum Genus, & nomen Sarmatarum, amiſerunt, ſed idioma quoque ſuum antiquum, in Ægyptium, & Arabicum, ſive Cophticum immutarunt, mox poſt Victoriam *Seſoſtris* annis ante Chriſtum natum 1498. ut expreſſe teſtatur *Herodotus lib.* 2. *cap.* 105. *Hi ſoli* (ſcilicet Colchi) *atque Ægyptii linum*, *&* *quidem eadem ratione* , *elaborant*, *omnisque utrorumque vita*, *&* *lingua ſimilis eſt.* Verum & ipſi Georgiani animadvertentes nil ſibi eſſe commune cum Sarmatis, ignari ſuæ originis, penſantes in idiomate ſuo, aliquà verba Hebraiſmum ſonantia, reperiri; tam debili fundamento innixi, dicunt ſe a David procedere, & ejus progeniem eſſe, ex ea quæ fuit Uriæ. *Porphyrog. de Admin. Imper. cap.* 45. Idioma vero illorum mixtum, & fere ſpeciale, ne in uno quidem verbo ſimilitudinem habens cum lingua Slavica, facile colligi poteſt, ex illorum forma Baptiſmi a *P. Thad. Kruſinski Trag. Hiſt. lib.* 1. *cap.* 5. *Sect.* 2. *No.* 150. deſcripta, quæ talis eſt: *Enatogliens*, *Gmona*, *gmerti N. Sacchelita mamiſtia*; *Amin. Tzeſita amin. Tzulſis Smidizita: amin.* Quod latine ſignificat *Baptiſetur Servus DEI N. in nomine DEI Patris*, *Amen*: *&* *Filii*: *Amen*, *&* *Spiritus Sancti*: *Amen.* Si ergo Lazi aliquando in has oras veniſſent in tanto numero ut ſemivacuas ſedes (prout vult *Lengnich*) implerent, Imperium fundarent, & nomen toti Genti ſuum imponerent, Linguam quoque Ægyptiacam, quam ſolam calebant, poſteros docuiſſent, & ad nos uſque transfudiſſent, cujus ſaltim aliqua veſtigia manerent. Certum autem eſt, ne unum ſimile quid occurrere in toto idiomate Slavico, & Polonico. Unde multum erraſſe videtur *Lengnich.* Polonos cum Lazis, moribus, & lingua, conveniſſe; cum tam hæc, quam illi, toto cœlo differant a Slavis.

SECTIO III.

Lazi eo tempore, quod aſſignatur, Sæculo videlicet VI. e Colchide in has oras nullatenus migrare Potuerunt.

1. Nunc videndum, quid de ipſa migratione Lazorum ſentiat *Lengnich*, dum ad confirmationem propoſiti a ſe Thematis, non Lechum, ſed Lazos fuiſſe Regni Polonici Fundatores, aſſerit. Sententiam igitur formaturus, dicit 1mo §. 7. *Lazos* & *Zechos* confines fuiſſe, Zechos autem exuiſſe omne erga Romanos obſequium. Unde fabula crevit, *Lechum* & *Czechum* Fratres fuiſſe, Ruſſum quidam addunt, ob eandem rationem. 2*do*. Id autem proſequitur §. 8. Quia illi, qui adventum Slavorum, & fundationem Regni Polonici, incidiſſe in ſæculum VI. affirmant, ſimul dicunt (& quidem certius) illos veniſſe a Ponto Euxino, & Bosphoro Cimerio, ibi autem *Lazi* & *Zechi* manebant. 3*tio* §. 9. dicit, veniſſe non per Pontum (ſero namque inventa fuerat ars navigandi ut claſſibus iretur) ſed venerant itinere terreſtri tranando per *Tanaim*, *Boryſthenem*, *Tyram*, *Danubium*, veneruntque primo in Pannoniam. Iter autem, non uno tractu, ſed per intervalla ſubſiſtendo, perfecerunt. Omnia hæc bene coordinata eſſe, ad perſuadendum ſuum Syſtema ſupponit *Lengnich*, & tam audacter Hiſtoriam migrationis coordinat, Geographice itinera delineando, quaſi ſocius itinerum, vel Dux, in locum Lechi, ſubſtitutus fuiſſet.

2. *Zechos* ſive *Zychos* ad Pontum Euxinum Mæotim verſus habitaſſe non diffiteor; Pertinuiſſe, autem ad migrationem Slavorum ſub Juſtiniano Imperatore, niſi augurando dicere poſſumus. Utrum Romanis paruerint vel non? (ſaltim nunc) propoſito non ſervit. Hoc unum ſcio ex *Procopio de Bell. Goth. lib.* 4. *cap.* 4. Regem a Romanis olim accepiſſe. Quod autem additur ibidem quod *in nulla re am-*

plius parerent, suppono locorum inaccessibilitati confisos, excutere jugum voluisse, sed forte non valuisse. Si tamen ad migrationem illorum hæc verba trahi possent, non his terminis expressisset Procopius: sed quemadmodum Slavorum irruptionem clare descripsit, ita causam inobedientiæ *Zechorum* migrationem adjecisset. Cum tamen nec Procopius nec ullus alius hujus migrationis meminerit, imo Porphyrogenitus, post migrationem Slavorum quingentis prope annis, scribens Historiam, illos suo loco mansisse affirmet; satius inferendum, illos Patriam non reliquisse. Si autem Lazis associantur, eo quod vicini fuissent, cur non *Hieoniochi* vel *Ampreutæ*, aut *Sarmatæ* illis adjunguntur, cum hos quoque collimitaneos ponant Geographi. Verum, adinventis rationibus, hac una satisfieri potest. Cum etenim tota Iberia, usque ad Tanaim occupata fuerit per Sesostrem, ut dictum hic *Par.* 3. *Sect.* 2. *a N.* 9. etiam *Zechiam* involutam fuisse huic procellæ consequens est. Unde idem Argumentum quod de *Lazis* supra propositum est, (illos sæcnlo VI. migrare non potuisse) etiam *Zechis* servit. Illos namque dissociare nolumus, in omnibus casibus, quos Antilechitæ adeo firmo vinculo amicitiæ strinxerunt. Cum autem Roxolani a *Lazis*, *Zechis*que multum distent, & tamen in societatem *Lazis Zechis*que eos Lengnich advocat, viderit ipse! quomodo coalescere potuerint Gentes, moribus, & idiomate, prorsus diversæ? & quomodo gubernari potuerit populus, ex tam diversa, genere, idiomate, moribus, hominum multitudine coalescens, quorum neuter, neutrum intelligeret, consequenter, neque audiret, nec obediret.

3. Quod secundo loco ponitur, adeo mihi infirmum esse videtur, ut (cum responsio cuiquam in promptu esse possit) nullo molimine indigeat. Nisi quis vellet incitato passu scrobem unius palmi transilire. Neque enim infertur: Slavi venerunt a Bosphoro, & Ponto; sed Lazi manserunt

ad

ad Pontum; ergo Lazi fuerunt Slavi, & illi venerunt in Poloniam. Hoc enim Argumentum neque quoad materiam, neque quo ad formam concludit. Si enim soli Lazi, & Zechi, & Slavi ad Pontum mansissent, valeret Argumentum: sed cum ibidem omnes Gentes Scytho-Sarmato-Slavicæ locum originis haberent, (& quidem propinquiorem, quam Lazi, & Zechi) tam de his, quam de illis (imo potiori titulo de illis) asseri præsens migratio posset. Inde namque prodiisse *Alanos*, *Hunnos*, *Gothos*, *Wandalos* &c. scimus, non tamen Lazos fuisse dicimus. Si *Procopius de Bello Got. lib.* 3. *cap.* 6. saltim minimam mentionem fecisset Lazorum, posset haberi aliquod adminiculum hujus opinionis, quia cum migratione quomodocunque cohæreret assertum, nil tamen simile innuit. Imo quamvis innuisset, non eo ipso illos Fundatores Regni Poloniæ fecisset. Quemadmodum licet ibidem *Antarum* meminerit, propterea tamen, *Antas* nemo in Poloniam venisse, & Originem Genti dedisse affirmat.

4. Sed quidquid sit de nomine! dico universaliter; nullam Gentem ultra Pontum manentem medio sæculo VI. potuisse usque in Poloniam penetrare. Utrumque enim latus Ponti Euxini ab armatis populis obsidebatur, & omnia itinera adeo erant clausa, ut præter hos, qui amicitia, fœdere, pactis, conjuncti fuerant, nullus exercitus transire potuerit, nisi sibi viam ferro aperuisset. Non enim per Bosphorum Thracicum aditus illis patebat. Via namque in Romaniam ex Lazice arctissima custodia tenebatur ab Exercitu Justiniani, ut nullus tuto transire potuerit, ut testatur *Paulus Diac. Hist. Misc. lib.* 20. *cap.* 1. Bulgari etiam cum eo tempore adversus Romanos pugnarent, Romaniam sive Thraciam claudebant. Lazos itaque armatos transire non permisissent.

Imo contrarium prorsus colligitur, Lazos eo tempore intra limites suos mansisse. Nam *Mundus* Gepida natione,

Rex Syrmiæ pro Romanis pugnans, Bulgaros captivos in *Laziam* misit ut scribit *Cedrenus pag.* 371. Sive ut *Theophanes in Chronogr. ad annum* 13. *Justiniani* notat. Ipse Imperator Bulgaros captivos, per *Lazicen*, & *Armeniam* dispersit, ibidem custodiendos. Quod minime fecisset, si vidisset Lazos tumultuari & inquietos, migrationi accingi, hoc enim fuisset oleum igni super infundere. *Lazi* ergo & *Zechi* sub Justiniano, nec per Bosphorum Thracicum, nec per Romaniam transire potuerunt.

Verum & super littus Septemtrionale Euxini transire tanto minus poterant. Ibi namque tota manus congregatorum contra Romanos fuerat. Inde velut ex vagina effundebantur populi armati in ditiones Imperatorias. Ibi rapidissimi fluvii pleno semper ac profundo alveo decurrentes *Tanais*, *Borysthenes*, *Hippanis*, *Pandicapes* &c. aut pontibus sternendi, aut navigiis superandi erant (ut ommittam loca, circa Borysthenem, Tanaim, & Hippanim, uliginosa, & palludinosissima) certe, illac nemo præter *Lengnich* exercitui iter suasisset, nisi illum medio in itinere extinguere voluisset.

5. Sed forte dicet? eo tempore Slavi, cæteræque Sarmaticæ Gentes secesserunt inde in Thraciam & Illyricum: adeoque terra erat vacua, & iter liberum. Verum (præterquam fidem excedat & rationem; migrationes tales accidisse, ut omnis plane populus Regionem desereret, ut dictum hic *Part.* 1. *Sect.* 9. *No.* 5.) vitando Charibdim, incidit in Scyllam. Unde namque exercitui de commeatu, & aliis necessariis provideretur in locis tam ingenti spatio dissitis? certe defendens a gladio omnes interimeret fame. Forte non ignota fuerat Lazis ac Zechis fatalis illa expeditio Darii in Scythiam, quam descripsit *Herodotus lib.* 4. *cap.* 1. *sequ.* Qui licet tam numeroso exercitu stipatus fuerit, ut potuerit littora Bosphori, & rippas Istri Pontibus conjungere, nec careret navigiis, quibus necessaria exer-

citui

citui subministrarentur, tamen per solitudines ubique vastatas errans, tandem cum summo dedecore, vix effugit periculum. Quid quæso egisset Populus iners, rudis, sine ordine, sine Duce per terras incognitas pergens, quales fuisse Lazos *præcedenti Sectione* probavi?

Deinde (dato non concesso) prædictis omnibus remedium excogitare posse *Lengnich* adhuc conciliandum esset tempus, utrum in idem inciderit migratio Lazorum, quo excesserunt, *Slavi*, *Hunni* &c.? cum *Procopius* illos erupisse dicat, circa annum 550. Lengnich autem migrationem Lazorum ante Baptismum Tzadi assignet, scilicet ipsum initium sæculi VI. quando invasionem Imperii vix cogitarunt Slavi, quæ incæpit post annum 513. quo ad imperium evectus fuerat Justinianus.

6. Ad extremum, Lazi sæculo VI. exire de terra sua minime potuerunt. Illi namque inter duas potentissimas Gentes Persas scilicet, & Romanos constituti, nunc his, nunc illis parere cogebantur. Et ex quo annis ante Christum circiter 63. Iberia, & Albania a Pompejo victa sub potestatem Romanorum venit, ut refert *Florus lib. 3. cap. 5.* nunquam sui juris fuerunt Incolæ Colchidis, nec tantum libertatis habuerunt, ut migrare liceret quocunque liceret. Initio autem sæculi VI. Persis subditi erant; & omnia confinia, a Satrapis ac Præfectis illorum custodiebantur, ita, ut quidquid in Lazia sine Regis scitu actum fuerat, nedum inquirebatur, sed ne inde aliquid nocivum Regno Persarum accideret, cavebatur. Hinc est quod *Cabades* Rex audito *Tzadi* Baptismo Constantinopoli suscepto, illico legationem ad Justinianum mitteret, cur suos subditos avocaret? *Paulus Diac. Hist. Miscel. lib.* 19. *cap.* 18. Potuisset ne pati, & quietus manere? audiens Lazos sibi subditos arma sumere, sub signa convenire, res convasare, & se migrationi accingere? Si autem (quod frequens repeto) emigrationem factam fuisse dicat *Lengnich* ante Baptismum

ptiſmum *Tzadi*, idem argumentum redit. Semper enim a Regibus confines populi diligentius cuſtodiuntur, quoties potentia vicini hoſtis (quales erant Romani reſpectu Perſarum) magis ſuſpecta habetur.

Sed, & ipſis Romanis, res diſplicuiſſet, & ob parem rationem, illam namque migrationem in malam partem aſſumerent. Suſpicarentur enim, ſi forte non ſit titulus coloratus invadendi Romanos, a Rege Perſarum ſuggeſtus, ut, in nil ſperantes incideret, exagitandos primo a Lazis, deinde potentiori exercitu adjuvandos. Et quamvis eo tempore omnes Gentes vicinæ fœderatæ eſſent Romanis, pace ſua fruentes, ut expreſſe docet *Procopius de Bello. Perſ. lib. 2. cap.* 29. *Ibi* (in confiniis Iberiæ) *cum aliæ Gentes ſedes habent, tum Alani, atque Abasgi veteres Chriſtianorum*, *ac* Romanorum *Amici, Zechi præterea, poſt quos Hunni cognomento Sabiri*, ſingulæ tamen caverent ſibi videndo *Lazos & Zechos* vicinos armari, longo Itineri commeatum parare, & in turmas convenire. Adeoque nec Hunni, Alani, & Slavi, per ſuas terras, nec Romani per ſuas ditiones, numeroſo & armato populo tranſitum permitterent. Quinimo convenientes cum Perſis, Hunnis aliisque vicinis, illos ipſo principio migrationis oppreſſiſſent. Et licet juſtificarent tranſitum, minime tamen hic permitti poterat, ex quo, vel diminutis amicis, minueretur potentia vicinis, vel ipſimet degenerarent in inimicos. Similem enim migrationem Helvetiorum in malam partem acceperunt Romani, quod in Galliam per Rhenum, & provincias ſuas tranſire conſtituiſſent, malueruntque ſe difficili bello implicare, quam id permittere, ut patet *ex Comment. Julii Cæſar. de Bell. Gal. lib.* 1. *& ſequ.*

7\. Accedit quod Lazis ſatius incumbebat eo tempore ſua defendere, quam aliena, & incerta quærere. Et quamvis nonnullis forte ſubeſſet animus continua pericula & vaſtationem Patriæ, a longe ſpectare; reliqui tamen ut tem-

tempore oportuno dimitterent concives, conſentire non poterant. Recedente enim notabili parte populi, infirmior pars remanens periculis imminentibus reſiſtere non valeret. Slavi namque & alii vicini Romanis populi, quos munera tantum, non ſincera amicitia ab incurſionibus detinebant, illis ſubmotis, terras vicinas invaderent. Quod non augurando dicitur, brevi namque poſt tempore aliis Sarmatis uniti Slavi, non ſolum Thraciam, ſed Colchidem quoque invaſerunt. Teſte *Procopio lib.* 9. *Hiſt. Anecdotæ. Ex quo vero in Colchida incurſionem facere* (ſcilicet Hunni, Slabeni & Antæ) *viciſſim ipſi*, *Romani*, *Lazique alii alias etiamnum clades accipiunt.* Unde colligitur poſt Baptiſmum *Tzadi* Lazos Romanis ſe ſubdidiſſe, diffidentes exacerbato Regi Perſarum (*Ammianus*, *Marcel. lib.* 27. *cap.* 29.) & quidem anno Chriſti 525. ut refert *Gennebrardus Chronogr. Part.* 2. *lib.* 3. Lazi ergo in arcto poſiti erant, nec tempus migrationi capax tunc fuerat, quando illis exterminatio a Perſis incumbebat. Quare, ne a tergo per Hunnos, & Slavos, diriperentur, *Gobazes* Princeps Lazorum (ut ſcribit Procopius *de Bello Perſico lib.* 2. *cap.* 29.) adſcitis Alanis, & Hunnis, qui Sabiri dicuntur, pretio conductis, *cum omnium Colchorum copiis in extremam Lazicæ oram petiit*, *ut in cuſtodiam anguſtiarum pro virili parte incumberet.* Infra vero ſubdit de Alanis & Hunnis, *ſpoponderant ſe*, *non modo Colchiam ab hoſtili* (ſcilicet Perſarum) *injuria tutam ſervaturos*, *cum Lazis*; *ſed Iberiam etiam nudaturos incolis.* Diverſo Marte tandem pugnatum fuerat, & inter montana, modo Perſæ Romanos, modo hi Perſas vincebant. Tandem hoc ipſo anno, quo dicitur Lechus in Poloniam adveniſſe & Regnum in ea fundaſſe, ſcilicet 554. Romanus exercitus in Colchide a Coſrhoe Rege Perſarum turpiter fugatus, ac victus eſt. *Agathias lib.* 2. Reaſſumptis autem viribus, & armis: poſt biennium idem exercitus Romanorum egregiam reportavit Victoriam in Colchide de Perſis.

Tenebant autem tunc Lazi Colchidem confœderati Romanis; ut ex *Agathia* habet *Jacobus Gordonus in opere Chronol ad An.* 556. Pace poſtea brevi reſtituta, mox rupta iterum ad arma conclamatum eſt, ſub Heraclio Imper. Perſæ anno 611. irruperunt in Iberiam omnia vaſtantes. Unde Heraclius in Albania hyemare coactus, Lazos in ſocios belli ſuſcepit, qui optima quidem loquebantur, ſed poſtea ſe ab exercitu ſubduxerunt, & inter ſua montana receſſerunt. *Paulus Diac. Hiſt. Miſcel lib.* 18. *cap.* 18. Toto igitur illo ſæculo VI. in quod incidit vita Lechi, & principium fundati a ſe Regni Poloniæ, Lazi limites ſuos non exceſſerunt, ſed ab extra armis ſtipati, ab intra negotiis Patriæ occupati, immoti manſerunt.

8\. Quod autem Lengnich ſubdit, Lazos per Pontum non navigaſſe ſed per continentem migraſſe, ideo, quod juxta *Leibnitium in Not. ad. Germ. Taciti* ſero nimis ars navigandi inventa fuiſſet, ut claſſibus iretur; ſed migrationes antiquorum per terram abſolvebantur; Abripior ſtupore! potuiſſe Virum doctum, & in Hiſtoria verſatiſſimum, uſque adeo erraſſe, ut crederet, ante ſæculum VI. navigandi artem ignoraſſe homines, nec claſſem mari impoſuiſſe. Adhuc namque ante Moyſis tempora Tyrii, & Sidonii claſſem mittebant, quibus deinde aſſociebatur claſſis Salomonis 3. *Reg.* 10. ℣. 20. *& ſeq.* Et Moyſes comminatus fuerat Populo Iſrael illum deducendum fore in Ægyptum claſſibus. *Deut.* 28. ℣. 68. Oportuit meminiſſe naufragii S. Pauli Apoſtoli ad Melitam qui portabatur magna navi, in qua manebant *animæ ducentæ ſeptuaginta ſex Act.* 27. ℣. 37. ſed & *Herodotus* toties meminit belli Navalis, & claſſem ingentem in expeditione contra Scythas Darium paraſſe, *lib.* 4. *cap.* 83. 89. *Ptolomæum* Philopatorem navem ædificandam curaſſe 40. ordinum, longam cubitis 280. ſcribit *Atheneus lib.* 5. Apud Romanos plurima genera navium fuerunt, propriis nominibus diſtincta. *Claſſici* etiam milites

tes dicebantur, vel *Classiarii* qui in classibus militabant. *Lampridius in Commodo cap.* 15. Ut taceam Carthaginenses, qui extrema maria enavigabant, & in remotissimis insulis mercaturam exercebant. Extat etiam in Ecclesia Catholica plurium Sanctorum Martyrum memoria, qui *navibus vetustis* impositi, in altum mare demergendi, mittebantur. Sed nec ipsis Lazis ac Zechis ignotam fuisse artem navigandi credendum est. Ab antiquo igitur nota fuerat omnibus Gentibus maritimis, ars navigandi. Et classes non solum Tyrii & Phænicenses, sed Romani quoque contra Carthaginenses ante Christi nativitatem mari consueverant imponere.

Quomodo igitur solis Lazis & Zechis imponemus, illos artem navigandi ignorasse, licet maritimi fuerint? Quinimo hanc artem exercuisse ipsa loci positio suadet, ubi plurima loca aliter adiri non poterant nisi per mare. Nam & *Mithridates* fugiens e Paterno *Regno*, *Bosphorum permeavit, Zygorum vero terram propter locorum difficultatem & asperitatem accedere non ausus, sæpe mare ingressus*, inquit *Strabo lib.* 11. Maritimi ergo cum fuerint *Zechi & Lazi* facilius potuissent classem parare, & illa usque ad ostia Isthri secure pervenire; quám terrestri itinere migrando cum tot obviis populis pugnando & multo longiori, & incommodiori itinere circumeundo Pontum, & pericula non vitando, ast studio quærendo, in ipso itinere inconsulte velle perire.

SECTIO IV.

Lazos in Oras Poloniæ non venisse probatur, ex cultus disparitate.

1. Præter dicta superius, non contemnendam proposito nostro materiam subministrat, in Lazis cultus disparitas, quæ adeo disjungit homines, ut nil magis. Advenas vero incolis odibiles reddit dispar Religio, ut omnes nervos

intendere necesse sit ad subjugandam Gentem, quæ licet eundem DEUM colat, disbaribus tamen utitur Cærimoniis. Ut ergo Lazi cohærere possent Slavis, in his oris manentibus, necesse fuerat ipsos etiam, Gentiles, & idololatras fuisse, quales ipsi Slavi fuerant. Lazi vero erant Catholici, eo tempore, quando dicitur Lechus in Poloniam, vel (juxta *Lengnich*) *Lazi*, venisse. Hic frangenda erat prima glacies, & quomodo id successit, nec innuitur. Cum tamen ipsa ratio suadeat, non potuisse advenas honeste recipi, qui & mutationem politicam minabantur, & sacra peregrina adferebant. Sed his quoque missis: Demus, quoquomodo Lazos venisse, & sedes hoc loci fixisse, defacto, fidem quam ex Lazice exportarunt, etiam in nostra Patria divulgassent, atque plantassent. Cum autem nullum vestigium Fidei Catholicæ fuerit in *Slavonia magna* seu *Polonia*, donec sub *Miecislao* I. gratiam Baptismi recepissent Poloni, idque sæculo X., inferendum, illos qui huc primo migrarunt, Gentiles omnes, adeoque, non Lazos fuisse.

2. Nec ignoravit hoc *Lengnich*, unde dicit Lazos ex sua Patria exisse ante sæculum VI, & iter non uno tractu fecisse, sed quandoque substitisse, ut intra migrationem ex *Lazice*, & ingressum in Poloniam, anni ad minimum sexaginta numerandi essent. Subsisto! & miror! tantam sibi authoritatem vendicare Lengnich, ut ipsi fides adhibeatur, quantam nullus Historicorum habuit. Nonne? qui his assentiretur, justius ab ipsomet increpandus esset? quod *fide Recentiorum abreptus solo assensu partes tueretur*? Ut ipsius terminis utar, *Dissert.* §. 18. Quanta levitate duci posset in devia ille, qui hanc sententiam defendere niteretur. Nonne illico suspicari deberet: excogitatum esse, quod nulla authoritate fulcitur juxta illud *Baronii in Prolegom. ad Annal. Eccl. Tom.* 1. §. 12. *Quod a Recentiore Authore de Rebus Antiquis, sine alicujus vetustioris testimonio, profertur, merito contemnitur.* Non exquiro coævos testes, dixerit hoc, vel saltim

tim innuisset *Porphyrogenitus* vel alius sæculi X. Scriptor, utut fidem excitaret. Sed cum nemo Authorum dixerit, vel *Lazos* cum *Zechis* emigrasse, vel Gentiles fuisse, nil suggeritur, quod opinionem saltim excitare posset. Imo contrarium suadere potuisset testimonium *Procopii*, qui *Zecbos*, licet non *Christianos* aperte, saltim *Christianorum amicos*, *dixit* de *Bello Pers. lib.* 2. *cap.* 29. Verum suspensa tantisper sententia, videamus: quando Lazi Fidem Christi amplexi sunt? Et utrum hypothesis Lengnich subsistat, Lazos migrantes, Gentiles fuisse, post quorum abscessum videlicet anno Christi 522. vel secundum alios 526. *Zathus* Rex ipsornm Constantinopoli Fidem Christi suscepit? Unde primo inquirendum est tempus determinatum, quo, Lazi fidem Christianam susceperunt.

3. Putant aliqui Colchos ad Christum conversos fuisse a *S. Georgio Megalo Martyre*. Nec repugnat locus nativitatis *Melitinæ* in armenia, sive (juxta alios) in *Cappadocia*, nec non Martyrium *Diospoli* in Persia susceptum: Qui locus cum proximus Colchidi fuerit, in illa Zelosus Christi Martyr, prædicare potuit. Et ita actum fuisse innuit *Prateolus in Elencho Hæret.* Addens in gratiam sui Apostoli antiquos Iberos nomen Georgianorum assumpsisse. Jam vero *Jacobus de Vitriaco Historiæ Hierosol. cap.* 79. putat, non propter conversionem Iberorum, sed ob specialem erga Sanctum reverentiam, & quod ad invocationem illius præsens auxilium in periculis experti sint pluries, velut suum signiferum honorantes, nomen illius assumpsisse.

Verum quidem, cultum hujus Sancti specialem semper fuisse apud has Gentes, nemo ignorat. Imo, usque illuc processit ruditas, & simplicitas populi, ut fere idololatrice effigiem illius colant, ut scribit *Busbequius Epist.* 3. *pag.* 208. *Templum ingressi, DEIparæ Virginis, Petri, Pauli, & aliorum Divorum Imaginum præsentia mediocriter afficiuntur, unam requirunt Divi Georgii in equo sedentis Effigiem, ante*

hanc venerabundi se prosternunt: deinde, omni ex parte deosculantur, ne equi quidem soleis prætermissis. Aliud superstitionis Genus habent tale: Est illis Ecclesia Principalis auro argentoque nitens, in illius vestibulum superstitiosi Popæ bovem sacris vestibus, stola, ac pluviali indutum, noctu in pervigilio Festi S. Georgii introducunt, quem missum a Sancto Georgio populus credens, circa Ecclesiam solemniter deducit, deinde mactat, & epulum instruit, felices se putant, qui de idolothytis participant. *Krusinski Hist. Par.* 2. *Sect.* 5. *No.* 154. Hic ergo cultus tam impense D. Georgio exhibitus, occasionem dedit nonnullis, illos ab hoc Sancto, & conversos, & denominatos fuisse.

4. Sed quidquid sit de conversione illa, Nomen Georgianorum aliunde deducendum esse dixi superius, hic *Par.* 3. *Sect.* 1. *num.* 4. Neque tam impense honor huic Sancto a Gente præstitus, continuo probat Illum fuisse Iberorum Apostolum (licet prorsus non negem aliquid hunc Sanctum contribuisse incremento Religionis, Prædicatione sua, Martyrio ac specialibus beneficiis impetratis a DEO) Etenim alibi quoque hic cultus Sancti rationabilius promotus fuerat, licet, non Ille, sed alii, ut Apostoli ibidem recognoscerentur. Nam ab Imperatoribus Constantinopolitanis hic Sanctus tanquam τροπαιοφορος, sive Dux Christiani exercitus, devote colebatur: ob auxilium exercitui Christiano, pluries datum, ut videre est, apud *Raymundum, de Aguliers in Hist. Hierosolym: Nicephorum Gregoram. cap.* 8. Et ideo multi Imperatorum Constantinopolitanorum Sigilla, nummos, in honorem hujus Sancti Protectoris sui, effigie Illius ornarunt. *Car. du Fresne: Dissert. de Poster. Ævi numis.* Electus etiam fuerat a pluribus Imperatoribus Occidentis, in Patronum Militiæ Constantinianæ, quæ sub invocatione S. Georgii, erecta fuerat a Friderico III. & multis summis Pontificibus confirmatæ, ut fuse prosequitur *Joannes Bollandus*

landus ad 5. *Februarii.* Ordo quoque *Periscelidis* in Anglia S. Georgium Tutelarem habuit *Authore Hist. Orbis Ter. Geogr. & Civil. Par.* 2. *cap.* 4. Cujus Patrocinium singulare experiebantur Angli; adeo, ut etiam Henricus VIII. summam in res Ecclesiasticas potestatem sibi vendicans, postquam cetera Festa Sanctorum abrogasset, Sancti Georgii, solemne relinqueret, ut legi potest in *Henriciano Psalterio sub Initium.* Festum tamen istud Eduardus VI. plane sustulit. Alibi etiam per Europam fundati erant, Ordines Equestres *Sancti Georgii*: Utpote in *Aragonia* Ordo S. Georgii *de Alfama.* Et in Hispania Equitum *Montesiæ.* Apud Genuenses item, Ordo Equestris *S. Georgii*, & alii plures. Sed & ipsi Turcæ, licet nullum ex Sanctis, imo, nec Christum venerentur, tamen S. Georgium præcipuo in honore habent, quem *Chederle* vocant, sed multa confingunt. *Busbequius Epist.* 1. *pag.* 93. Cultus igitur solus, impensius a Georgianis Sancto Georgio exhibitus, non probat illum fuisse Iberorum Apostolum.

5. Aliqui vero similius probant, mox post Passionem Christi Domini totam Asiam minorem (cujus pars Colchis est) conversam fuisse a *S. Philippo* Apostolo. Quod colligitur ex historia Ecclesiastica. Etenim in *Brevario Rom. Die* 1. *Maji Lect.* 4. ita habetur de eodem S. Philippo. *Is accepto Spiritu S. cum ei Scythia ad prædicandum Evangelium obtigisset, omnem fere illam Gentem ad Christianam fidem convertit. Postea, cum Hierapolim Phrygiæ venisset, pro Christi nomine Cruci affixus, lapidibus obrutus est.*

Alii vero dicunt, sub Trajano Imperatore finitimas Ponto Euxino Regiones, a Sancto Clemente Papa conversas fuisse. Quam sententiam tenet *Baronius Annal. Eccl. ad annum* 100. Idem habet *Metaphrastes* 23. *Novembris*, *Surius Tom.* 6. Ex his vero *Joannes Palatius in Gestis Pontif. in S. Clement*, *in Annotat.* Hæc adjecit. *Ad biennium ibi mansit* (scilicet in *Chersoneso*, sive *Chersona* Civitate ad Bosphorum

rum Cimmerium, quæ etiam *Heraclium*, dicebatur) *tanta Religionis fruge, quod in illis Regionibus simulacra omnia confregerit, ac Septuaginta, per diversa loca, extructis Ecclesiis, novum Orbem in orbe propagaverit Christianum.* Idem ex Baronio testatur *Spondanus in Epit. An. ad An.* 100. *No.* 4. Quod, post miracula plurima, monstrante agno, fontem aquæ in petra aperuerit, Martyrum multa millia in Fide confirmaverit, & vicinas Gentes ad Fidem converterit, tam felix in conversione populorum evaserit, *ut idololatria extincta propemodum fuerit.*

Id ipsum confirmatur ex eo quod S. Irenæus Apostolorum temporibus proximus, alias Ecclesias in diversis orbis Partibus positas enumerans, etiam illarum meminit, quæ in *Iberis essent.* Neque dici potest, per Iberos, Hispaniam voluisse intelligere. Etenim Ecclesiæ Iberiæ Occidentalis, remotæ nimis dici non poterant, imo confines Galliæ: Ubi Lugdunensi Ecclesiæ præfuit S. Irenæus, & Synodos duas celebravit. Unam contra hæreticos, alteram contra *Quatuordecimanos.* Consulto vero adducit, *ita credere Iberorum Ecclesias* designando non solum in Occidente, sed in Oriente quoque eadem dogmata Fidei profiteri Fideles. Imo, ipsam Galliam olim Iberiam dictam fuisse patet ex *Strabone lib.* 3. Nugatorie ergo diceret *remotas Iberiæ* Ecclesias ita credere, si de Iberis Occidentalibus sermonem institueret. Deinde Hispania non Iberia, tempore S. Irenæi dicebatur, sed Hispania, & hoc nomen Ejus ab antiquo erat Classicum, ut colligitur etiam ex sacra Scriptura 1. *Machab.* 8. ℣. 3. *Rom.* 15. ℣. 24. *&* 28. Taliter etiam vocatur a *Varrone de Re Rustica lib.* 3. *cap.* 12. *Mela, Plinio, Livio &c.* Iberiæ ergo nomine designatur Regio Asiæ Minoris, in qua, cum fundatas fuisse a S. Clemente Ecclesias legimus, *Lazos* quoque, & viciniores his *Zechos*, eo tempore conversos fuisse minime negare possumus. Et quidem *Procopius de Bello Persico lib.* 1. *cap.* 2. Lazos ab antiquo

tiquo optimos Christianos fuisse dicit. Et *lib.* 1. *Bell. Pers.* *cap.* 12. hæc habet; *Iberorum*, *Asianorum Sedes*, *Portas Caspias contingunt*, *a Septemtrione sinistra Lazica*, *ab occasu dextra*, *ab ortu populos*, *qui Persis parent. Christiani sunt inter omnes quos eo nomine censeri scimus. Sacrarum Legum ac cæremoniarum tenacissimi*, *quamvis Regi Persarum jam inde antiquitus subditi.*

6. Sed quia grandis persecutio plurimos fidelium delevit, & maxima cura inquisiti Antistites ac Presbyteri sublati sunt: plebs absque Pastoribus & instructione, ad varios delapsa errores Fidem veram amisit, & paucis forte exceptis, omnes Iberi ad Idola reversi, vix memoriam suæ pristinæ conversationis retinebant. Quomodo autem Fides restaurata sit, rem pluribus, quam proposueram, exponere cogor, ut ostendam ante sæculum VI. in Colchide Christianos mansisse. Accidit enim Providentia DEI, ut Ancilla quædam in captivitatem duceretur, & in Iberiam deportaretur. Hæc jejuniis & orationibus vacans, oculos in se omnium convertit: & ea occasione, curiose de statu suo inquirentibus, Christi Fidem annuntiavit. Cum autem miraculose infantem mulieris, deinde ipsam Reginam apericuloso morbo liberasset, Reginam primo, deinde Regem, diu cunctantem, miraculis tamen convictum, Christo lucrifecit. Qui postquam Ecclesiam (non sine Miraculorum interventu) ædificasset, ipse viris, uxor ipsius cum captiva Ancilla, fæminis, mysteria Fidei exponebant. Tandem a Constantino M. Presbyteros, qui populum sibi subditum in fide erudirent, impetravit. Ipseque cum subjecto populo baptizatus, Comes domesticorum, & Palestinæ Præfectus, a Constantino factus est. *Bacurium* hunc Regem nominat *Rufinus Hist. Eccl. lib.* 1. *cap.* 11. & ab eo ipso hæc relata audisse fatetur: *Baturium* alii dicunt. Idem ferme, ad verbum refert *Sozomenus Hist. Eccl. lib.* 2. *cap.* 14. *Socrates lib.* 2. *cap.* 6. *Ammian. Marcell. lib.* 13. Anonymæ hujus mulieris memoria recensetur in Martyrologio Romano

ſub proprio illius nomine, ita enim *die* 15. *Decembris* habetur: *Apud Iberos trans Pontum Euxinum, Sanctæ Chriſtianæ Ancillæ, quæ virtute miraculorum, Gentem illam tempore Conſtantini ad Fidem perduxit.* Conſentiunt huic ipſimet Georgiani, & hanc Sanctam, Apoſtolam ſuam recognoſcunt, nomine in Gente recepto *S. Nino* appellantes. *P. Thad. Kruſinski Trag. Hiſt. Perſ. lib.* 1. *cap.* 5. *Sect.* 2. *No.* 149.

7. Neſcio igitur, quod adhuc ſupereſſet medium Anti-Lechitis ad probandum ſuum aſſertum, Polonos Lazis ſuam originem, & nomen debere, cum ex fide antiquorum Hiſtoricorum ſatius conſtet, *Lazos* nec generis, nec idiomatis Slavici fuiſſe: nec potuiſſe migrare ex ſua terra ſæculo VI. fuiſſeque ab antiquo Chriſtianos. Poloni vero, non ab illis fidem receperunt (cum tamen illam una cum moribus in Lechiam debuiſſent invehere) ſed demum ſæculo X. ſub Mieciſlao I. baptizati ſunt.

Sed adhuc dubium opponi poteſt. Si Iberi fidem Chriſti ſuſcepiſſent (ut colligitur) anno Chriſti Dominicæ Incarnationis 327. ſub Conſtantino Magno, non ſubſiſteret illud quod teſtatum reliquit *Paul. Diac Hiſt. Miſcel. lib.* 15. *cap.* 18. *Zathum* Regem Lazorum, 5*to* anno Imperii Juſtini Conſtantinopoli fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe. *Gennebrar*: autem *Chronogr. lib.* 3. dicit: *Lazi a Perſis ad Romanos deficiunt, & Chriſtianam pietatem amplectuntur.* Ego quidem non diffiteor *Zathum* Conſtantinopoli Baptiſmum ſuſcepiſſe, & donatum titulo Imperatoris, Corona, veſte Regia, ac ſponſa, ad ſuos *Lazos* rediiſſe ut colligitur ex *Zonara Annal. Par.* 3. & *Cedrono in Compend.* Tota tamen Gens Colchorum includens etiam Lazos, atque Iberos jam ab antiquo fuerat Chriſtiana. Unde *Cabades* Lazis a ſua clientela poſt Baptiſmum *Zathi* recedentibus, iratus, cum illos ulciſci non poſſet, finitimos illis Iberos, æque Chriſtianos, invaſit, ut late proſequitur *Procopius Bell. Perſ. lib.* 1. *Zathus* ergo ſolus, baptizatus eſt circa annum 522.

Qui

Qui more primitivæ Ecclesiæ diu in Patria fuerat Catechumenus. Vel certe, privatim Baptismo ablutus fuerat absque ceremoniis, illasque publice expleturus, Constantinopolim accessit, ibidem Justinum Imperatorem Patrem lustricum habuit: ut ex prædictis colligitur.

8. Lazi autem a S. Clemente ad fidem coversi, ut dictum hac *Sect. num.* 5. Tempore vero Sylvestri Papæ, sub Constantino M. publice omnes Christum confessi, ante *Zathum* Christiani fuerunt. Quod etiam confirmatur ex *Porphyr. cap.* 46. qui Lazos, & Abasgos, fuisse ab antiquo Christianos, diserte affirmat. Conciliaturque locus ipsius, dum *cap.* dicit: *Iberes Hierosolymis, in terram quam nunc incolunt migrarunt, ab hinc annis* 400. aut 500. Quod non intelligendum de primitivis Iberiæ populis, sed de illis qui cum *Bacurio* Hierosolymam iverunt, ut dictum hac *Sect. num.* 6. Hi ergo in Patriam circa annum 450. redierunt, forte, aut pulsi, aut persecutionem passi ab Hæreticis Eutychianis, & Dioscorianis, sponte cesserunt. Magno enim Locorum Sanctorum Hierosolymis semper tenebantur desiderio, unde frequentes locum adibant, & redibant. Imo nostris Fratribus custodiam Locorum Sanctorum adeptis, in possessione Montis Calvariæ, ac Sepulchri Christi Domini, frequenter negotium imposuerunt, ut notat *Waddingus Annal. Ord. Tom.* 7. *ad annum* 1342. *num.* 25.

Ex his igitur conducitur via *Lengnich*, ad effugiendam vim argumenti, Lazos medio sæculo VI. non potuisse in has oras venire: quia cum essent ab antiquo Christiani, cultus veri, ac Religionis Christianæ cæremonias, in Poloniam seu (ut tunc frequentius audiebat) in *Slavoniam Magnam*, invexissent. Credo, si anteriora sæcula lustrasset, facile invenisset totam *Lazicen* plusquam binis sæculis, ante prætensam migrationem; Christianam fuisse; sicque, vel huic dubio providisset, vel sententiam mutasset.

SECTIO V.

Oſtenditur Lazos non degeneraſſe in Lecikavicos, a quibus Poloni procederent, & nomen aſſumerent.

1. Ultimum nodi vinculum ſoluturus *Lengnich*, poſtquam *Lazos* ſuos in majorem Poloniam deduxiſſet, ad *Wartam* fluvium in vacuis ſedibus Wandalorum locavit. Quia tamen apud nullum Authorem invenire poterat, Lazos, antiquitus ibi manſiſſe; quosdam populos *Licikavikos*, apud *Witichindum Corbienſem* Monachum reperiens, illos pro Lazis acceptavit, & ut alii acceptent perſuadere conatur. Incipiens ergo a §. 12. uſque in finem Diſſertationis, hanc ſententiam rationibus firmare nititur: *Lecikavikos* eſſe ipſosmet *Lazos*. Sed quia obvium ſibi babuit contradicentem *Cromerum*, qui jam pridem hanc opinionem diligentiſſime examinavit, & dubia emergentia ſolide reſolvit. Dicit non fuiſſe accuratos Hiſtoricos Polonos, in recognoſcendis Principum Familiis, adeoque relata a *Witichindo*, omnibus aliis Scriptoribus, certiora eſſe dicit. Tandem concludit *Miecislaum* defacto Ducem fuiſſe *Licikavikorum*, refutatque Cromerum, & ſtrenue aſſerit Lechos a Lecho deduci non poſſe, ſed veram Polonorum denominationis originem, eſſe nomen Lazorum. Supponens autem dicta ſua velut oracula, ab omnibus acceptanda fore, ovans exultat, ſibi ſufficere, oſtendiſſe ſaltim Gentem certam, a qua Poloni originem ducerent, aliisque inſultando concludit. *Lechum autem non dum probarunt ii, qui fide Recentiorum abrepti, ſolo aſſenſu partes tuentur.*

2. Syſtema hoc, primo intuitu quicunque reſpexerit, non aliud ſe videre fatebitur, niſi Proteum Hiſtoricum. Quis enim capere poterit, tam diverſa facie apparuiſſe, aliquando Polonos, non ſolum a ſe ipſa differente, ſed prorſus alia. Lazos enim videbit degeneraſſe in Slavos, Slavos in *Lecikavikos* mutatos; *Lecikavikos* deinde ſpeciem habuiſſe

buisse Lazorum: qui tandem distinctissimam Gentem Polonorum repræsentant. Quomodo hæ Gentes, nominibus, moribus, idiomate, prorsus differentes, imo locis, & Patria a se distantes, in Polonos tandem transfigurari poterant, minime capio.

Si enim Lazi originem dederant Polonis, cur statim a Principio talem appellationem, vel inter se, vel apud exteros non usurpaverunt, quemadmodum dici non abhorruerunt, & adhuc dicuntur *Lechitæ*, nomine mox post fundationem Regni a Lecho assumpto, ut dictum hic *Par.* 1. *Sect.* 10. *per tot.* Vel sicut dicti sunt *Poloni* aut *Polani*, ac *Polacy* mox post susceptum Baptismum ut ostensum hic *Par.* 1. *Sect.* 12. Danda defacto esset ratio, quomodo inter populum nulla monumenta, & Scripturas habentem, nunquam auditum nomen *Lazorum*, post V. sæcula reassumi poterat, & reformari, non immediate, sed per nomen maxime alteratum, si non alterum, *Lecikaviki* in nomen *Polacy*, quæ duo inter se nullam Analogiam ethymologicam habent.

Sed nec hoc prætereundum est. Si τὸ *Polacy*, derivatur a *Lazis*, quasi Posteri *Lazorum*, *Po Lazach*, (ut vult *Dissert.* §. 4.) cur satius non probat, tunc populum quemdam extitisse, quando *Polacy* dici cæperunt, ast solum *Lecikavikos*. Et si *Lecikaviki* tunc solum erant, non *Lazy*? Cur non a *Lecikavikis* sed a *Lazis* in Asia eo tempore manentibus nomen derivatur? Cum illi, licet alias fuissent unius Gentis cum *Lecikavikis*, nomen tamen diversum illos distinguebat, & nullum secum commercium habuerunt, unde nullatenus potest inferri, *Lecikaviki* & *Lazi*, fuisse aliquando Synonima.

3. Sed videamus ipsum fundamentum, supra quod opinionem suam ponit *Lengnich*. Scilicet relationem *Witikindi* Monachi Corbejensis in *Chronico Saxoniæ*. Statim in ipso limine totus apparet, quis fuerit *Witikindus*? extraneus scilicet

Scriptor, cui nemo imputare potuit, si errasset in Historia Polona, cujus gesta ex proposito non scripsit, sed, ut casus tulit de Personis, vel locis agendo per accidens, ut nomen peregrinum audivit, ita annotavit, nullam habens regulam, ad quam errorem emendaret. Unde quamvis immutasset nomina Locorum & Personarum propria, vel male expressisset, parcitur a prudentibus; & laudatur viri conatus, voluisse recte scribere, quod tamen consequi haud potuit. Non enim aliter scripsit, nisi prout referentes expresserunt, qui sicut non erant Slavi, sed Germani, ita ut potuerunt (corrupte scilicet) nomina propria referebant. *Witikindus* autem, narrata suo genio accomodans, magis alterare potuit. Et certe plus eum non curasse colligitur, quam, ut ad intelligendam Historiam Saxonicam rem exponeret, quacunque voce (modo similis fuerit originariæ) personas exprimendo. Quod ex eo patet; Nomen etenim cui diligentius cæteris attendere debuerat, erat Nomen Principis, quod apud Slavos fuerat *Mieczyslaw* vel abbreviate *Mieszko*. Illum tamen, nec *Mieczyslaum*, nec *Mieskonem* posuit. Sed *Missikam*, aliquando & corruptius scripsit. Ex quo infertur ipsum minus curasse Genuinam nominum propriorum expressionem; modo intelligibilis reddatur, per similitudinem vocis, quid exprimere vellet. Cum ergo fecit quod potuit, excusabilis est apud Lectores. Nemo tamen tuto potest defendere errorem, qui ab omnibus videtur; tanto minus ex erronea notatione Nominis, inferre, melius locutum fuisse Polonice Germanum, quam omnes Polonos. Hinc recte mihi videtur egisse *Hanckius de Reb. Siles. cap. 6. §. 20.* qui inaudito nomine *Lucikavikorum* consternatus, barbaram vocem, errorem judicavit, nec examinandam, aut serio impugnandam suscepit.

4. Verum augurari liceat de mente *Witikindi*, quamnam Gentem voluerit exprimere nomine *Lucikavikorum*. Cum nullus Geographus, illius unquam meminerit. Ego suppono Lusatiam esse, cujus incolæ vocabantur *Luzacy* vel

Lo-

Lozacy (quos *Cosmus* Bohemicus Scriptor *Luczanenses* appellat) occupantes magnam partem Regionis inter Silesiam, Moraviam, Bohemiam, Poloniam, & Saxoniam, positæ. Quam oram veteres, a frequentibus Virgultis & *Sileribus*, vulgo *Lozy*, *Lozatiam* dicebant, ut innuit *Urspergensis in Chron.* Gens hæc erat latissime diffusa & potens: a Latinis Scriptoribus, non multum differenti nomine, attamen alterato, & in Latinum inverso expressa. Unde Populi hanc terram inhabitantes a Strabone *Loii*, a Ptolomæo *Lotii*, ab aliis *Luiitici* dicebantur, frequentius tamen *Ligii* appellabantur, emendante *Casaubono* qui pro λȣγȣς legit λιγιȣς, emendationem infundans aliorum Historicorum authoritati, qui hujus tractus populos *Ligios* vel *Lygios* ponunt. Gens erat Romanis Historicis satis nota, ac famosa, ob bella Marobodoi. Unde & Tacitus *Germ. cap.* 43. dicit *Lygiorum nomen in plures civitates diffusum.* Nominis hujus vestigia mansisse penes civitates *Lignitz*, *Luytmerycz*, & *Luitzelburg.* putat *Colerus in notis ad Germ. Taciti.*

Postquam vero Carolus M. subegerat Saxones, & vicinas Provincias, simulque *Lygios*; reliquiæ illorum coarctatæ sunt, ac manserunt, ubi postea *Lusatiæ* comitatus, vel Marchionatus, erectus fuerat. Ubi prædictus Carolus Imperator *Helmstadio* contra Wandalos, *Dresdæ* contra Bohemos, Præfectos dedit. *Henricus* vero *Auceps* cum Marchionis titulo, primum præfecit *Geronem* Altemburgi & Mersburgi Comitem, ut confinia, a Bohemis, & Polonis defenderet, ipsosque *Lusatios* subditatus impatientes, & a Religione Catholica abhorrentes, in Officio contineret. *Lætus Comp. Hist. Univers. Pfanner de Præcip. Germ. Princip. Gent. cap.* 2. Hunc populum *Dithmarus Chron. lib.* 1. appellat *Lutzikos*. *Crantzius* vero eosdem cum *Wilsiis* sive *Wilzis* ultra *Panim* fluvium habitasse, dicit: sive quod in vicinia manentes, utramque fortunam communem habendo, se invicem juvare contra Germanorum incursiones consueverint:

rint: sive, quod hæ duæ Slavorum propagines in unam Gentem coaluerint. Hanc igitur Gentem *Lutzikorum*, & *Wilzorum* sibi unitam volens, exprimere *Witichindus*, uno nomine appellavit *Lutziko - Wilzos*, sive *Lucykawikos*. Consentire his videtur *Hartknoch de Rep. Polo: lib. 1. cap. 1.* Nisi hæc certior sit Lucikavikorum nominis origo? a peritioribus alia melior inveniri poterit, nemo tamen unquam probabit illos a *Lazis* in *Slavos* transfiguratis, nomen vel genus sumpsisse.

Quæ autem *Lengnich* infra subjecit pro confirmatione (quod Poloni sint, Lecikavici a Lazis descendentes) licet directe intentum non probent, Systemati tamen ipsius confirmando aliquatenus prosunt, Unde illa Synoptice hic colligo. Et quidem 1*mo* dicit: *Lecikavikos* a *Luzicis* differre, quia ipse *Witikindus* inferius ponit *Lusikos*, ad ultimam servitutem coactos fuisse a *Gerone* Præside. 2*do* Quia Helmoldus *Polonos* ponit ad Orientem, *Witikindus* autem dicit *Wighmanum* Ducem Saxonum, *Orientem versus*, *iterum se Paganis immersisse*, & Fratrem *Misicæ* interfecisse. Quod autem *Misika* fuerit idem cum Miecislao Principe Polonorum, vult colligi ex verbis *Witichindi*, qui eundem *Misikam* dicit fuisse Generum Boleslai Regis Bohemorum; Miecislaus autem *Dambrowkam*, Filiam Boleslai, Uxorem habuit. Cum vero opponitur, Miecislaum unicum fuisse Filium Zemomisli: Dicit: imo plures habuisse constat. Nam *Dithmarus* testatur Mesconis Fratrem *Cideburum* (alium ab eo, quem occidit *Wighmanus*) cum Patre ipsiusmet *Dithmari*, *Sigefrido*, acie pugnasse, & *Ciderburum* prælio superiorem evasisse. Concludit igitur Miecislaum Lecikavikorum sive Polonorum Regem fuisse, & ipsos *Lecikavikos* a *Lazis* processisse.

6. Hæc omnia quam bene quadrent deductioni *Lecikavikorum* a *Lazis* videbant acutiori Intellectu præditi: Ego fateor me non posse capere, quomodo ex his formari argumentum.

mentum possit. Lecikavikorum fuit Rex Miecislaus, sed fuit etiam Rex Polonorum, ergo Lecikaviki sunt Poloni. Ubi argumentum variat in accidente. Licet enim permitteremus Lecikavikos extitisse, & eorum Regem Miecislaum fuisse, non tamen inferri potest *Lecikavikos* fuisse Polonos. Constat enim etiam nunc, unum Regem præesse multis Gentibus, ut Hispanum, Americanis, & Hispanis, Suecum Suecis & Laponibus. Inferre tamen non licet, Americanos esse Hispanos, vel Lapones, Suecos.

Sed neque nostri Historici adeo magnificant Miecislai Imperium, ut multas Provincias illi attribuant. Imo arctam admodum Ditionem hujus Principis fuisse confitentur; utpote, qui miti, & pacifico animo donatus, illi principaliter intendebat, ut fidele, & Christianum Regnum Filio relinqueret. Ampliatio Regni a *Sala* fluvio ad *Ossam* debetur Filio ejus Boleslao: qui plurimas Provincias (præcipue Slavicas) a Germanis vindicavit, & suo Regno adjecit. Unde gratis dicitur, & hoc primum: Lecikavikos Miecislao fuisse subditos; & alterum: Polonos aliquando Lecikavikos dictos, & ab eis ortos fuisse.

Ipsa etiam probatio Lengnich, contra ipsum militat. Adducit enim *Helmoldum*, qui dicit Polonos mansisse ad ortum: & eidem argumento annectit *Lecikavikos Witikindi*. Ergo Poloni erant distincti, a Lecikavikis, utpote nominatim expressi a Helmoldo, nulla mentione Lecikavikorum facta. Verum ergo esse potest, Lecikavikos (sive *Lozatykos* vel *Lutzikos*) fuisse Orientales respectu Saxoniæ, & Polonos pariter Orientales, non tamen sub Miecislao, nec unum Populum, sed distinctum constituisse. Et quamvis esset unus populus, non tamen eo ipso infertur a Lazis procedere.

7. Reliqua vero quæ adjiciuntur, prorsus de nostro Miecislao non verificantur. Neque enim bona fide potuisset dicere *Witikindus* de Polonis *Wigmannum iterum se immer-*

fisse Paganis, si voluisset Miecislaum I. Regem Poloniæ exprimere. Cum tempore Miecislai Poloni jam fidem susceperint; & quidem non successive, ut cuiquam placuerat; sed eodem anno, ac eadem die, omnes baptizati sunt, ut dictum hic *Part.* 2. *Sect.* 12. *num.* 5. Unde nec effugere licet, dicendo: sub Miecislao, aliquos suscepisse Baptismum, alios vero Paganos fuisse: quorum majorem numerum respiciens *Witichindus*, omnes Lechitas Paganos dixit. Relatio igitur Illius non Polonos sed directe *Lusatios* respicit, qui licet urgerentur ad Fidem, illam suscipere renuebant, & reluctantes baptizati, mox ad idola redibant. Quos autem Germanorum Potentia cogere non potuit, ut obediant Evangelio, hos, cum cæteris Slavis, Boleslai mansuetudo leniter induxit, dum exemptos a servitute Germanorum, libertate donavit, & onera alleviavit. Ut testatur *Cromerus Polonic. Rer. Tom.* 2. *in Boleslao Chrobry*.

Zemislaus etiam præter Miecislaum, alterum nullum habebat Filium, constanter affirmantibus omnibus Historicis, qui res Polonas, ex professo tractarunt. Et tot classicis testimoniis opponere imo præferre *Witikindum* (qui per accidens nomen *Misicæ* posuit) non puto ab aliquo Critico approbari posse. Cum autem dicit Witikindus eo fere tempore, aut paulo post *Lusikos* a Gerone, ad ultimam servitutem redactos esse, quando *Wigmanus* occiderat Fratrem *Misikæ*, clare patet de alio *Misika*, non de Miecislao. I. Rege Poloniæ sermonem fieri.

8. Quod ut palam fiat, quando hæc acciderunt? & quando scripta sunt? penitius examinanda veniunt. Sub *Henrico I.* qui *Auceps* dictus fuerat, hæc contigisse, ex mox dicendis puto. Idem autem *Henricus* assumptus ad Imperium fuerat anno Domini 920. vel 919. ut vult *Spondanus in Epit. Annal. ad an.* 919. *num.* 2. Decessit autem circa annum 936. cui Otto I. successit, & victo Boleslao Duce Bohemorum, aliisque Slavis, vicinis, vita & ipse functus an.

Do-

Domini 973. ut vult *Luitprandus lib. 4. cap. 7. & lib. 6. cap. 19. Otto Friſingen. lib. 6. cap. 19. Henricus* vero Marchionatus, ſeu limitaneas Præfecturas conſtituit, Brandeburgenſem contra Henetos, Miſnenſem contra Bohemos, Luſaticam contra Polonos & Sileſios *Gennebrardus Chron. Gener. lib. 4. ad an.* 937. Henricus a Conrado I. obſeſſus opera *Sigfridi* liberatus circa annum 916. poſtquam Regnum Germanorum adeptus eſſet, & præfecturas (ut dictum) inſtituiſſet, eundem *Sigfridum* Saxoniæ Ditioni præfecit, ut vult *Philip. Jacob. Spenner. in Sylloge: Geneal. Hiſt. in Familia Witikindea Saxonica.* Cujus Sigfridi Filius fuiſſe creditur *Diethmarus*, ſive (ut alii abbreviant (*Dithmarus Epiſcopus Merſpurgenſis*. Hic autem 41. ætatis ſuæ anno ut vult *Georg. Fabric. in Hiſt. Sax.* obiit. Ab eodem etiam Henrico I. *Geronem* Marchionem Luſatiæ inſtitutum fuiſſe dixi ſuperius,. *hac Sect. No.* 4.

Miecislaus vero I. Princeps Polonorum Electus eſt in Regem Anno 962. *Guagninus in Compen. Chronicor. in Mieſkone* vel 964. juxta *Cromer. de orig. Polon. lib. 2. in Zemomyslo* aut forte anno ſequenti, cum mors Zemomisli in annum prædictum inciderit. Mortuus autem anno 999. ut vult *Miechovienſis in Chron. Reg. Pol. lib. 2. cap. 1.* Cum autem & *Wigmanus* cum Slavis pugnarit, & occiderit Fratrem *Miſikæ*: & *Sigefridus* cum Fratre *Miſikæ Cideburo* prælium inierit, ſub Henrico I. Rege Germanorum, patet, ad hanc relationem *Miecislaum* Regem Poloniæ, prorſus nil pertinere: utpote, quod inter mortem Henrici, ac electionem in Ducem Polonorum Miecislai, intercedat differentia temporis annorum 28.

Palam ergo eſt *Miſikam Witichindi* ac *Dietmari*, alium eſſe a Miecislao I. Polonorum Duce. Quis autem ille *Miſica* fuerit, inquirant, qui rerum Germanicarum geſta revolvunt. Ego cum *Cromero de orig. & Reb. Geſt. Polonorum lib. 3.* dico fuiſſe quempiam alium Ducem Slavorum,

non Polonorum, hoc nomine distinctum, ex Posteris Lesci III. (error irrepsit in Cromeri Historia, pro *Lesco* ponens *Popielum*) hic etenim præter *Popielum Seniorem* ex uxore legitima natum (quem Principem Polonorum esse voluit) 20. alios Filios e concubinis suscepit, quibus occidentalem & maritimam oram omnem inter Albim, & Habelam fluvios partitus est: Sacramento adactis, ut Popielo obediant. *Miechovien. lib.* 1. *cap.* 1. *Jodocus de Vetust. Polon. lib.* 1. *in Lescone III. Guaninus in compend. Chron.* Error igitur circa *Witichindi Lucikavicos* originem habere videtur, cum ex nomine *Misikæ* male tracto ad Miecislaum I., tum ex composito nomine Gentis *Lutziko - Wilzorum*. Hos etenim *Conradus I.* Rex Germanorum vicit, & Vectigales fecit. Ut notat *Hermannus Contractus in supplem Chron.* qui *Lutico - Wilzy* dici poterant, loco cujus nominis compositi, *Lucikavici* probabilissime a Witichindo scripti sunt. Hæc tamen adhuc longiori tempore distant a Miecislao nostro. Nisi velimus dicere, extremis temporibus Conradi assumptam expeditionem, & primis annis Henrici, completam fuisse victoriam contra *Lutico - Wilzos*. Inter hos autem Slavos Misika quispiam primatum tenere potuit, non *gener* sed *ex genere* Boleslai Bohemiæ Ducis, ut legit *Eccardus Annal - Saxon: Tom.* 1. *pag.* 313. ab ipsomet *Lengnich in Dissert. de Major* §. 17. citatus. Non enim *Miskæ*, *Misicæ*, *Mieskonis*, *Miecislai* nomen ita proprium fuerat Regibus Poloniæ, quin illud aliæ Gentes, ex Slavis oriundæ, ac illorum Principes usurparent. Nam postmodum etiam inter Principes *Russiæ*, *Mazoviæ*, *Ratiborienses*, *Vratislavienses*, *Lignicenses*, *Svidnicenses*, *Pomeranos &c.* plurimi *Boleslai*, multi *Miecislai* leguntur.

CONCLUSIO.

Quæ igitur, pro vera, & indubitata exiſtentia Lechi, dixi, non tanquam dogma propoſui, ſed (ut veritas ipſa exegit) candide aperire ſtudui. Neminem lædere propoſui, nec læſiſſe ſuppono; niſi ipſe voluntarie in calamum impegiſſet. Non optavi me potius commendare, quam cauſam. Vidi ingenti manu obſeſſam veritatem, ſui tamen ſecuram. Amovere impugnatores non violenta, ſed leni manu, ſtudui; & volui oſtendere veritatem laboraſſe quidem, ſub multorum armis, non tamen victam ſuccubuiſſe. Quodſi rectum animum meum, non recte quispiam interpretari velit? per me licet! ſufficiat Antilechitis, meminiſſe axiomatis *Tertulliani lib. de Præſcript.* *Quibus fuit propoſitum aliter docendi, fuit neceſſitas aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ.* Ruditas Styli ſi damnabitur? minus eſt. In verbis namque, veritati ſtudui, non verbis: non curavi etenim ut ſpecioſa, ſed ut arma ſint, quibus Lechum, & Hiſtoricos noſtros, utut defendere valeam. Si diſplicuero? conſolabor me ævi hujus moribus, quo fortaſſe, duobus, vel nemini recte aliquid factum videtur

Tantum.

INDEX RERUM
CONTENTARUM IN HOC OPERE.

Primus numerus Partem. *Secundus* Sectionem. *Tertius* numerus Marginalem. P. Præludium significat.

)(Bu-

Jazy-

Leng-

Olym-

Tomy-